CONNOTATA ANTONOMASTICA,

Ab Aliquibus Consummatissimis PROVINCIÆ NOSTRÆ

PHILOSOPHIS,

Privatis ad calamum Lucubrationibus

Assertivè proposita,

PUBLICO SOLI, & JUDICIO EXPOSITA,

AUCTORE P. ALEXANDRO PODLESIECKI Soc: JESU.

Anno Domini MDCCXXXI

Typis Clari Collegii Sandomiriensis Die 6. Julii.

Imprimatur.

CONSTANTINUS
SZANIAWSKI
Episcopus Cracoviensis
mp.

IOANNES JUSKIEWICZ

Præpositus Provincialis
Soc. JESU.
Per Poloniam.

CUm Opus, quod inscribitur: *Connotata Antonomastica, ab aliquibus Consummatissimis Provinciæ Nostræ Philosophis, assertivè proposita, publico soli & judicio exposita*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro FRANCISCO RETZ, Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas, manu mea firmatas & sigillo munitas dedi Cracoviæ 22. Aprilis. 1731.

Idem qui suprà *mp.*

)(†)(

OPERIS
Origo & dispositio.

A plerisq; in Theologia Cracoviensi Auditoribus meis, magna votorum contentione expetitus, ut ante 20. & aliquot Annos ingeniosiùs propositam, pluribus persvasam, sibi tamen intimè non perspectam Noviorum in Provincia Nostra Connotatistarum sententiam enuclearem, desideriis censui deferendum. Itaq; cum Strenuissimo Noviorum Connotatistarum Duce R. P. Ioanne Gzowski; cumq; suis Legionariis fortissimis R.P. Francisco

ciſco Koczorowski, R. P. Joanne Radominſki, R. P. Joſepho Domaradzki, R.P. Stanislao Popiel, R. P. Joſepho Kobielſki, R. P. Joſepho Tuchołka, aliquot Paragraphis rem abſolvam, identidem ex Solidiſſima Diſſertatione Philoſophica de Connotatis & Conſtitutivis Denominationum, velut gemmas ex concha, aliquas inſerturus ac illuſtraturus inſtantias, acturusq; imò: *Quid ſit conſtitutivum Antonomaſticè tale?* 2dò *Quotuplex ſit conſtitutivum?* 3tiò. *Quodnam ſit indicium aut ſignum univerſaliſſimum conſtitutivi Antonomaſticè talis?* 4tò. *Quid ſit, & quotuplex ſit connotatum?* 5tò. *Quodnam ſit indicium connotati Antonoma-*

tonoma-

tonomasticè talis? 6tò. Propositio exclusiva quomodo sit exponenda? 7mò. An possibile sit connotatum Antonomasticè tale? ut communiùs ab ipsis Defensoribus suis nuncupatur. Nec insolens videatur, quòd Recentiores in Provincia Nostra Connotatistas, qui nullam hactenus Philosophiæ, aut Theologiæ partem typis donârunt, de nomine ac cognomine jam citaverim, & sim citaturus; quia etiam R.P. Morawski de DEO pag. 54. citat in terminis Manuscripta P. Nicolai Martinez; ac ejusdem subtilitates refert refellitq́; paginâ 68. & 69. Idem de DEO pag. 230. citat P. Laurentium Pikarski. &c. Præterea R.P. Młodzia-

dżianowski de Incarnatione pag. 57. & de Angelis pag. 132. citat in terminis Manuſcripta Patris Perez. Idem de Jure ad finem paginæ 44. & de Incarnatione pag. 76. citat P. Laurentium Pikarſki. Idem de Jure pag. 47. ac ſequentibus, refert & refellit argumenta P. Martini Olſzewſki, P. Venceslai Darowſki ſui in Theologia Profeſſoris, & P. Nicolai Trzaskowsſki. Idem etiam de Pœnitentia pag. 71. ejusdem P. Martini Olſzewſki, ac de Incarnatione ad finem paginæ 144. P. Venceslai Darowſki rationes refert & refutat. Idem de Juſtitia pag. 69. ac ſequentibus, in examen vocat rationes P. Alberti Zerońſki. Idem

de

de Incarnatione pag. 142. citat P. Sigismundum Zaranek. &c. Deniq; R. P. Miaskowski de DEO pag. 345. P. Laurentium Pikarski, ac pag. 421. citat P. Bartholomæum Caregno &c. &c. Porro ex Hispana Provincia P. Caregno, & ex Nostra omnes citati Theologi nullum Tractatum seu Philosophicum seu Theologicum impressêre. Quòd verò Opusculum istud optatos brevitatis terminos excesserit, imputandum id amplitudini materiæ, in Oppositorum Philosophiis, ac etiam Theologiis longiùs, quàm credi possit, evagatæ. Sit igitur

§. 1mus.

Quid sit Constitutivum Antonomasticè tale?

I. PRæmitto in præsenti rem esse de Constitutivo ut sic (sicut & de Connotato) Antonomasticè tali, cui scilicet principalissimè à Doctis attribuitur denominatio constitutivi. Porro id, cui principalissimè à Doctis attribuitur denominatio constitutivi, debet esse requisitum essentiale rei, & per suam ipsius entitatem debet statuere rem in suo esse, seu debet suam entitatem dare in entitatem rei, ut certum est omnibus. Unde non agitur hìc de constitutivo rei extrinseco, quod per aliquid à se realiter adæquatè distinctum statuit rem in suo esse, ut Architectus dicitur constituere domum, tali enim constitutivo non tribuitur principalissimè denominatio constitutivi cùm ejusmodi constitutivum non per suam ipsius entitatem, sed per actionem à se realiter adæquatè distinctam statuat rem in suo esse. Non agitur quoque hìc de constitutivo, seu parte integrali totius, quia etiam parti integrali non tribuitur principalissimè denominatio constitutivi, cùm talis pars licèt per suam entitatem statuat totum, v. g. hominem in suo esse, non tamen est requisitum essentiale ad esse totius, v. g. hominis, certè enim v. g. digitus hominis non est requisitum essentiale ad esse hominis &c. Hoc præmisso principaliores Constitutivi definitiones ab aliis cogitatas referam & refellam, ac tandem aliter idem constitutivum definiam.

SECTIO IMA.

Rejiciuntur Definitiones aliorũ.

2. DUce R. P. Ioanne Morawski juxta plures in Provincia Nostra Connotatistis Oppositos *Constitutivum rei est id, quo solo per possibile vel impossibile ablato immediatè & formaliter tollitur res*; atque hæc propositio ante annos 30. in hac Provincia pro definitiva rei explicatione habebatur à pluribus. Unde etiam in Dissertatione Philosophica Disp. 2. num. 50. dicitur: *Alii in definitionem Constitutivi trahunt illud*: *Quo solo ablato res tollitur*. Duce inquam R. P. Morawski; quia hic in Principiis Physicæ de Ente in cõmuni Disp. 4. Quæst. 2. sic habet: *Constitutivum intrinsecum alicujus denominationis est id, quo solo ablato, & manentibus per possibile vel impossibile aliis omnibus requisitis ad esse rei, eo ipso formaliter & immediatè tollitur res.* Explicatio ista ab ipsa Philosophia semper mihi visa est insubsistens, ex his (ut mittam alias) rationibus. 1*mò* Prædicta quasi definitio non constat genere proximo constitutivi, quia ly: *Id*, est genus constitutivi remotissimum, utpote commune omnibus omnino entibus, ac proinde constitutivum per genus dictum convenit cum omnibus omnino entibus non cum paucissimis, quantùm fieri potest. Ergo &c. 2*dò*. Prædicta quasi definitione admissa sequitur, quòd v. g. homo sit Constitutivum animæ rationalis, ut tali deduco Syllogismo. Quo solo per possibile vel impossibile ablato, immediatè & formaliter tollitur res, illud est constitutivum rei, ut asseritur. Ergo & quo solo per possibile vel impossibile

possibile ablato, immediatè & formaliter tollitur anima rationalis, illud est constitutivum animæ rationalis. Sed solis per possibile vel impossibile ablatis omnibus simul partibus hominis, immediatè & formaliter tollitur anima rationalis, quia ablata simul & materia hominis, & anima rationali, & unione, ac manentibus omnibus aliis realiter adæquatè distinctis à materia hominis, ab anima rationali, & ab unione, sine dubio immediatè & formaliter tollitur anima rationalis. Ergo omnes simul partes hominis sunt constitutivum animæ rationalis. Ergo ulteriùs homo est constitutivum ejusdem animæ, quia homo non distinguitur realiter ab omnibus simul partibus hominis. Vel sic. Quo solo per possibile vel impossibile ablato, immediatè & formaliter tollitur anima rationalis, illud est constitutivum animæ rationalis. Sed solo per possibile vel impossibile ablato homine secundùm omnes & singulas suas partes, immediatè ac formaliter tollitur anima rationalis. Ergo homo secundùm omnes & singulas suas partes est constitutivum animæ rationalis. Porro falsissimum est, quòd homo sit constitutivum animæ rationalis. Tum quia homo nec est adæquata essentia animæ rationalis, aliàs solo quomodocunque, etiam per sublationem unionis, ablato composito humano, tolleretur anima rationalis. Tum quia omne constitutivum Antonomasticè tale ex suo genere est requisitum essentiale, homo autem non est requisitum essentiale animæ rationalis, aliàs hæc nec divinitus esse posset ablato cōposito humano. 3*tiò* Eadem quasi definitio competit cuivis Personæ Divinæ comparatæ ad alteram, v. g. competit Patri Æterno comparato ad Filium non constitutivo Filii, quia ablato quomodocunque solo Patre Æterno, immediatè & formaliter tollitur Filius, ut declaro ita. Quo solo ablato, immediatè & formaliter tollitur aliquid adæquatè identifica-

tum Filio, illo solo ablato, immediatè & formaliter tollitur Filius, si enim sola ablata parte hominis, inadæquatè identificata homini imediatè & formaliter tollitur homo, à potiori solo ablato illo, quod adæquatè identificatur Filio, imediatè & formaliter tollitur Filius. Sed ablato quomodocunq; solo Patre Æterno, imediatè & formaliter tollitur aliquid adæquatè identificatum Filio, quia ablato quomodocunq; solo Patre Æterno, imediatè & formaliter tollitur Divinitas, utiq; adæquatè identificata Filio, nam ablato secundùm Divinitatem solo Patre Æterno, immediatè & formaliter tollitur Divinitas, ut patet; ac ablato secundùm Paternitatē solo Patre Æterno, immediatè & formaliter tollitur eadē Divinitas, utpote adæquatè identificata Paternitati. Ergo &c Similiter sola quomodocunq; ablata SS. Trinitate, immediatè & formaliter tollitur totum hypostaticum, quia sola quomodocunq; sive secundùm Divinitatem, sive secundùm Personalitatem quamcunq; ablata SS Trinitate, immediatè & formaliter tollitur constitutivū totius hypostatici, nempe Divinitas; nec tamen SS. Trinitas constituit totū hypostaticū, ut certū est. Ergo prædicta quasi definitio non soli competit constitutivo.

3. Iuxta aliquos Connotatistis Oppositos *Constitutivum rei est requisitum essentiale, quo solo ablato tollitur res.* Non rectè; quia etiam hæc definitio, licèt jam completa per genus proximum constitutivi, non soli competit constitutivo, nam certè aggregatum ex DEO & anima Petri non est constitutivum Petri, prædictum tamen aggregatum sine dubio est requisitum essentiale ad esse Petri; soloque dicto aggregato ablato secundùm omnes partes ejusdem, tollitur Petrus &c.

4. Iuxta aliquos Connotatistis Oppositos *Constitutivum rei est, quo solo ablato tollitur aliquid illo majus.* Non rectè. Tum quia hæc definitio non competit ulli constitutivo v.g. DEI Patris, licèt enim

nim solâ ablatâ sive Essentiâ DEI Theologicè sumptâ sive Paternitate tollatur DEUS PATER, neutrâ tamen solâ ablatâ tollitur quidquam majus vel Essentiâ DEI Theologicè sumptâ vel Paternitate, aliàs in Trinitate daretur aliquid majus & minus, quod est contra Symbolum S. Athanasii profitentis: *In hac Trinitate nihil majus aut minus.* Tum quia eadem definitio competit etiam alicui non constitutivo, nam certè binarius v. g. ex corpore Petri & conservatione ipsius, secundùm omnes simul suas partes acceptus, non est constitutivus ternarii coalescentis ex corpore Petri, anima Petri, & unione; solo tamen ablato dicto binario secundùm omnes simul partes suas, tollitur præfatus ternarius, utique major illo binario.

5. Juxta aliquos Connotatistis Oppositos *Constitutivum est, quod identificatur inadæquatè alicui, & est minus illo.* Non rectè. Tum quia Essentia DEI Theologicè sumpta [quæ juxta Theologos definitivè est *Complexum omnium prædicatorum Divinorum absolutorum necessariorum omnibus & singulis Personis communium singulariter*, seu individualiter sine sui multiplicatione in singulis] constituit v. g. DEUM PATREM, dicta tamen Essentia nec identificatur inadæquatè DEO PATRI, nec est minor illo. Ergo hæc definitio non omni competit constitutivo. Tum quia binarius ex corpore Petri & conservatione ejusdem, secundùm omnes simul partes suas acceptus, non constituit ternarium coalescentem ex corpore Petri, anima Petri, & unione; præfatus tamen binarius identificatur inadæquatè dicto ternario, & est minor illo. Ergo eadem definitio non soli competit constitutivo. Tum quia præfata definitio, sicut & immediatè superior, est studiosè composita ad præjudicandum ei sententiæ, quæ pluribus jam consentientibus docet probabiliter, quòd detur adæquatum constitutivum rei.

6 Juxta R. P. Gzowski in Logica num. 808. *Constitutivum intrinsecum alicujus rei vel denominationis est illud, quod secundùm totam suam entitatem est identicum realiter eidem rei vel denominationi.* Iuxta eundem in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 2. *Constitutivum intrinsecum rei idem est, quod essentia rei. Definitur à Nobis sic : Constitutivum intrinsecum alicujus rei est illud, quod secundùm totam suam entitatem identificatur eidem rei.* Non rectè; quia 1mò Ly ; *Illud*, sicut & ly : *id*, est nimis remotum constitutivi genus, ut declaratum num. 2. in simili. Ergo definitio hæc non est recta, utpote carens genere proximo definiti. 2dò Eadem definitio in sententia definientis Doctissimi non omni competit constitutivo, quia Essentia DEI Theologicè sumpta juxta omnes constituit v. g. Filium, præfata tamen Essentia in sententia definientis secundùm totam suam entitatem non identificatur Filio, ut probo. Quod secundùm totam entitatem suam identificatur Filio, illud secundùm omnia sibi identificata identificatur Filio, quia universaliter quod secundùm totā entitatem suā identificatur rei, illud secundùm omnia sibi identificata identificatur rei, tota siquidem entitas rei nihil aliud est, nisi omnia identificata rei, quid enim aliud est tota entitas rei? Sed Essentia DEI Theologicè sumpta, in sententia definientis secundùm omnia sibi identificata non identificatur Filio. Ergo &c. Probatur Minor. In sententia definientis aliquid identificatum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ non identificatur Filio. Ergo &c. Probatur Antecedens. In sententia definientis Paternitas non identificatur Filio. Ergo in sententia definientis aliquid identificatum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ non identificatur Filio. Consequentia patet, quia Paternitas juxta fidem identificatur Essentiæ DEI Theologicè sumptæ. Antecedens probatur. Iuxta R. P. Gzow-

ski in Manuſcriptis de DEO num. 422. Perſonalitates Divinæ diſtinguuntur inter ſe realiter adæquatè. Ergo Paternitas non identificatur Filiationi. Ergo Paternitas non identificatur etiam Filio, quia quæcunq; ratio probat Paternitatem diſtingui adæquatè à Filiatione, eadem probat Paternitatem diſtingui adæquatè etiam á Filio. 3*tiò*. Eadem definitio non ſoli competit conſtitutivo, quia competit cuilibet toti comparato ad ſuam partem, v. g. competit Petro comparato ad ſuam animam, Petrus enim ſecundùm totam entitatem ſuam identificatur animæ Petri, ut probo. Petrus identificatur inadæquatè animæ Petri, ut certum eſt omnibus. Ergo Petrus vel præcisè ſecundùm corpus, vel præcisè ſecundùm animam, vel ſecundùm utramque ſimul prædictam partem, inadæquatè identificatur animæ Petri, quia juxta Aſſertorem hujus definitionis, & paſſim juxta alios Connotatiſtas ſolùm duæ ſunt partes Petri, ſcilicet corpus & anima. Atqui non præcisè ſecundùm corpus; quia entitas corporis præcisè ſecundùm ſe ſumpta, adæquatè diſtinguitur ab anima Petri. Non etiam ptæcisè ſecundùm animam; quia entitas animæ Petri præcisè ſecundùm ſe ſumpta, adæquatè, non inadæquatè identificatur animæ Petri. Ergo Petrus ſecundùm utramque ſimul prædictam partem inadæquatè identificatur animæ Petri. Ergo Petrus ſecundùm totam entitatem ſuam inadæquatè identificatur animæ Petri, quia paſſim juxta Connotatiſtas tota entitas Petri non plus conſtitutivè dicit, quàm utramque ſimul prædictam partem, ſcilicet corpus unitum animæ, & animam unitam corpori. Ergo denique Petrus ſecundùm totam entitatem ſuam identificatur ſimpliciter animæ Petri, quia ſicut v. g. ab animali rationali ad animal ſimpliciter, ita ab identitate inadæquata ad identitatem ſimpliciter, ſcilicet à ſpecie ad

genus valet consequentia, atque sicut distinctio inadæquata est distinctio simpliciter, ita & identitas inadæquata est identitas simpliciter.

7. Juxta R. P. Radominski in Logica num. 538. *Constitutivum rei vel denominationis est essentiale requisitum rei aut denominationis identificatum ei, secundùm se totum, seu secundùm omnia & singula, quæ in se formaliter per identitatem continet.* Non rectè; quia hæc quoque definitio competit etiam non constitutivo, nam Petrus v. g. non constituit ullam suam partem actualem quà talem, ut certum est omnibus Connotatistis, doceturque à pluribus etiam Nostris; & tamen prædicta definitio competit Petro respectu suæ partis actualis quà talis, nam 1mò competit illi genus definitionis prædictæ, quia, juxta R. P. Radominski in Logica numero 553. *Totus homo est essentiale requisitum ad hoc, ut pars hominis sit pars actualis*; id quod etiam ab aliis passim Connotatistis asseritur. Ergo & Petrus est requisitum essentiale ad esse suæ partis actualis ut talis. 2dò eidem Petro competit etiam differentia ejusdem definitionis, quia Petrus secundùm se totum identificatur suæ parti actuali quà tali, v. g. animæ, ut facilè probari potest proportionatè ut numero superiori in ratione 3tia, mutato solùm ly: *Secundùm totam entitatem suam*, in ly: *Secundùm se totum*.

8. Addo quòd eadem definitio, prout est explicata per ly: *Seu identificatum secundùm omnia & singula, quæ in se per identitatem continet*, non competat omni constitutivo, quia hoc prædicatum genericum hominis: *Animal*, sumptum secundùm prædicata communia omnibus animalibus, tam rationalibus, quàm irrationalibus, scilicet sumptum secundùm esse viventis, est constitutivum hominis, ut certum est omnibus; nec tamen illud est identificatum homini secundùm omnia & singula, quæ ipsi identificantur, seu quæ in se continet per iden-

titatem

titatem, ut probo. Si hoc prædicatum genericum hominis: *Animal*, ita ut suprà circumscriptum, identificaretur homini secundùm omnia & singula, quæ ipsi identificantur, tunc suprà circumscriptum prædicatum, etiam secundùm esse v. g. bovis identificaretur homini, quia huic prædicato generico hominis: *Animal*, ita ut suprà circumscripto, identificatur etiam esse bovis saltem defacto existentis, præfatum siquidem prædicatum ita ut suprà circūscriptum, omnibus & singulis suis inferioribus saltem defacto existentibus, ac proinde etiam bovi saltem actu existenti, est commune per identitatem, ut suppono ex communiore Philosophia cum Aristotele in Exemplari Editionis Lugdunensis 1mo Metaph. cap. 15 docente: *Hoc dicitur universale*, (quale est etiam suprà circumscriptum prædicatum) *quod pluribus naturâ aptum est inesse*, sine dubio per identitatem, eamque adæquatam, aliàs etiam hæc in individuo anima Petri, esset universale metaphysicum, quia hæc in individuo anima Petri per absolutam DEI potentiam sicut apta est informare plures numero materias, ita apta est pluribus naturâ compositis inesse per identitatem inadæquatam &c. Sed suprà circumscriptum prædicatum secundùm esse bovis non identificatur homini, ut palam est. Ergo, &c. Addo præterea, Identificatum rei secundùm omnia & singula, quæ in se *formaliter* per identitatem continet, vel est identificatum rei secundùm omnia & singula, quæ ipsi identificantur realiter nemine cogitante, vel est identificatum rei secundùm omnia & singula, quæ ipsi identificantur per rationem ex modo nostro concipiendi. Si *1mum*. Ergo definitio non competit huic prædicato generico hominis: *Animal*, ut patet ex prædictis. Si *2dum*. Ergo definitio constitutivi competit etiam toti physico quidditativè existenti respectu suæ partis actualis ut talis, quia imprimis totum quiddita-

tivè existens juxta Oppositos est requisitum essentiale ad esse suæ partis actualis, quà talis, cùm juxta illos totum physicum quidditativè existens sit semiextrinsecum connotatum suæ partis actualis ut talis. Deinde idem totum suæ parti actuali ut tali identificatur secundùm omnia & singula, quæ ipsi identificantur per rationem ex modo nostro concipiendi, totum siquidem physicum quidditativè existens, suæ parti actuali ut tali identificatur & secundùm rationem entis realis positivi, & secundùm rationem compositi ex materia ac forma unitis sibi physicè, nam & ratio entis realis positivi identificatur parti actuali ut tali, utpote verè & identicè simpliciter affirmabilis de actuali quà tali parte totius physici, prout patet in hac propositione: *Actualis ut talis pars totius physici est ens reale positivum*; & compositum ex materia ac forma unitis sibi physicè, identificatur suæ parti actuali quà tali, ut certum est omnibus. Porro tam ens reale positivum, quàm compositum ex materia & forma unitis sibi physicè, toti physico quidditativè existenti identificatur per rationem ex modo nostro concipiendi, quia totum physicum quidditativè (seu secundùm omnes suas partes) existens ex suo conceptu definitivo est ens reale positivum, compositum ex materia & forma unitis sibi physicè.

9. Firmatur contra eos, qui cum R. P. Gzowski in Manuscriptis de DEO num: 422. & cum aliis docent Personalitates Divinas distingui inter se realiter adæquatè. Essentia DEI Theologicè sumpta juxta omnes constituit Filium, nec tamen in relata sententia identificatur Filio secundùm omne id, quidquid dicta Essentia continet per identitatem. Ergo præfata definitio, prout est explicata, non omni competit constitutivo in prædicta sententia. Probatur 2da pars assumpti, quia Essentia DEI Theologicè sumpta continet in se per

identita-

identitatem etiam Paternitatem, nihilominus eadem Essentia secundùm Paternitatem non identificatur Filio in relata sententia, aliàs Paternitas identificaretur Filio, quod à memoratis Auctoribus admitti nequit, quæro enim ex illis: quomodo Paternitas identificatur Filio? adæquatè, an inadæquatè? Si adæquatè identificatur Filio, Ergo Paternitas nec inadæquatè distinguitur à Filio, quod est contra fidem. Si inadæquatè identificatur Filio. Ergo Paternitas non distinguitur adæquatè à Filio, Ergo Paternitas non distinguitur adæquatè etiam à Filiatione, quia quocunque titulo Paternitas non distinguitur adæquatè à Filio, eodem titulo non distinguitur adæquatè etiam à Filiatione. Certè ideo Paternitas non distinguitur adæquatè à Filio, quia eadem numero Essentia DEI Theologicè sumpta, est communis Filio & Paternitati. Atqui etiam eadem numero Essentia DEI Theologicè sumpta, est communis etiam Filiationi & Paternitati. Ergo &c.

10. Juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 555 *Constitutivum strictè tale definitivè est requisitum essentiale se toto identificatum alii rei. Se toto* inquit *identificatum; constitutivum enim debet ita identificari constituto, ut nihil sit per identitatem in constitutivo, quod non identificetur constituto. Alii* inquit *rei; hinc definitio non competit constitutivo adæquato v. g. Angelo respectu sui ipsius, Angelus enim non est alius simpliciter à seipso.* Non rectè, quia 1*mò* Etiam hæc definitio studiosè præjudicat sententiæ docenti, quòd detur constitutivum adæquatum. Ergo non est recta. 2*dò* Eadem definitio non omni competit constitutivo, scilicet neq; competit huic prædicato generico hominis: *Animal*, neque competit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, quia nec prædictum genus se toto identificatur homini, nec præfata Essentia se tota identificatur Filio in sensu definientis Doctissimi, si enim

prædi-

prædictum genus se toto identificaretur homini in sensu definientis, tunc quidquid identificaretur huic prædicato generico hominis: *Animal*, identificaretur etiam homini, ut patet reflectenti ad explicationem datam ab ipso definiente. Sed non quidquid identificatur huic prædicato generico hominis: *Animal*, identificatur etiam homini, ut declaratum num. 8. Ergo &c. Similiter si Essentia DEI Theologicè sumpta se tota identificaretur Filio in sensu definientis, tunc quidquid identificaretur Essentiæ prædictæ, identificaretur etiam Filio. Sed non quidquid identificatur Essentiæ prædictæ, identificatur etiam Filio, ut declaratum num. 9. in sententia Archiconnotatistæ Doctissimi & sequacium. Ergo &c. 3tiò Eadem definitio non soli competit constitutivo, nam v. g. binarius ex DEO & anima Petri non constituit animam Petri, ut certum est etiam Connotatistis, præfato tamen binario competit prædicta definitio, quia imprimis dictus binarius est essentiale requisitum ad esse animæ Petri, hæc enim ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentiam sine dicto binario, ut est extra dubium. Ergo præfato binario jam competit ly: *Requisitum essentiale.* Competit quoq; eidē ly: *Se toto identificatum alii rei*, ut probo. Binarius ex DEO & anima Petri identificatur inadæquatè animæ Petri, ut certum est omnibus. Ergo ille vel præcisè secundùm hanc partem, quæ est DEUS, vel præcisè secundùm hanc partem, quæ est anima Petri, vel secundùm utramque simul entitatem prædictam identificatur inadæquatè animæ Petri. Atqui præfatus binarius præcisè secundùm hanc partem, quæ est DEUS, non identificatur inadæquatè animæ Petri, quia entitas DEI præcisè secundùm se sumpta distinguitur adæquatè ab anima Petri. Idem quoque binarius præcisè secundùm hanc partem, quæ est anima Petri, non iden-

tificatur

tificatur inadæquatè animæ Petri, quia entitas animæ Petri secundùm se præcisè sumpta, adæquatè, non inadæquatè identificatur animæ Petri. Ergo præfatus binarius secundùm utramque simul entitatem prædictam inadæquatè identificatur animæ Petri. Ergo idem binarius toto se identificatur inadæquatè animæ Petri, quia totum esse binarii ex DEO & anima Petri non distinguitur ab utraque simul entitate tam DEI, quàm animæ Petri, cùm universaliter etiam juxta Nostros Connotatistas Noviores totum non distinguatùr ab omnibus suis partibus simul sumptis. Ergo præfatus binarius toto se identificatur simpliciter animæ Petri, ut patet ex insinuatis num. 6 ad finem. Ergo denique idem binarius se toto identificatur alii rei, quia anima Petri sine dubio est res alia seu distincta à binario ex DEO & anima Petri. Simili argumento deduci potest, quòd prædicta definitio competat toti physico comparato ad suam partem actualem ut talem, proportionatè ad dicta numero partim 7. partim 8.

11. Juxta Eundem in Compendio Connotatorum num. 1. *Constitutivum in re & circumscriptivè est essentia inadæquata, seu pars rei.* Non rectè; quia in hac circumscriptiva explicatione constitutivi per essentiam inadæquatam rei aut intelligitur determinatè physica essentia inadæquata rei, aut intelligitur determinatè metaphysica essentia inadæquata rei, aut intelligitur indeterminatè vel physica, vel metaphysica essentia inadæquata rei. Si 1mum. Ergo explicatio illa constitutivi non competit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ constituenti DEUM PATREM, quia physica essentia inadæquata rei realiter inadæquatè immediatè distinguitur à re, quomodo juxta fidem non distinguitur à Patre Essentia DEI Theologicè sumpta. Ergo prætereà eadem explicatio non competit constitutivo metaphy-

metaphysico rei, v. g. non competit rationali, prædicato differentiali hominis, quod juxta omnes Dialecticos est constitutivum hominis, [ùt patet ex schemate Arboris Porphyrianæ] illudque sine dubio metaphysicum inadæquatum; hoc enim sicut non distinguitur realiter inadæquatè á re constituta, ita non est physica essentia inadæquata ejusdem rei. Si 2*dum*. Ergo eadem definitio non competit v. g. animæ rationali constituenti hominem, quia anima rationalis non est metaphysica essentia inadæquata hominis, aliàs illa realiter adæquatè identificaretur homini, siquidem metaphysica essentia etiam inadæquata rei realiter adæquatè identificatur rei. Si 3*tium*. Ergo iterum prædicta explicatio non convenit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ constituenti Patrem, hæc enim nec est physica ex declaratis paulò superiùs, nec metaphysica essentia inadæquata Patris, utpote non ingrediens conceptum definitivum ipsius, prout patet reflectenti ad hanc propositionem definitivam: *Pater est Persona Divina generans Verbum*; certequè Pater nec ex parte actus definitivi, nec ex parte objecti est Natura Divina generans Verbum, siquidem juxta fidem Natura Divina non est generans &c. Similiter in eadem explicatione per partem rei, aut intelligitur determinatè pars physica rei, aut determinatè pars metaphysica rei, aut indeterminatè vel metaphysica vel physica pars rei. Si 1*mum*. Ergo explicatio illa non competit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ constituenti DEUM PATREM, quia pars physica rei distinguitur realiter inadæquatè immediatè à re, &c. ut suprà. Si 2*dum*. Ergo eadem explicatio non competit animæ rationali constituenti hominem, hæc enim non est pars metaphysica hominis, aliàs realirer adæquatè identificaretur homini. Si 3*tium*. Ergo iterum prædicta explicatio non competit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ constituenti Patrem, quia dicta Essentia sicut ex declara-

tis

tis paulò superiùs nec est physica, nec metaphysica essentia inadæquata DEI PATRIS, ita eo ipso & propter easdem rationes nec est physica, nec metaphysica pars inadæquata ejusdem.

12. Juxta R. P. Tuchołká in Logica num. 159. *Constitutivum definitivè est requisitum essentiale secundùm totam entitatem suam realiter identificatum rei seu denominationi; constitutivum enim debet ita identificari suo constituto, ut nihil sit per identitatem in constitutivo, quod non identificetur constituto.* Hæc definitio etiam verbis non discrepat à definitione relata num. 7. & 10. ac ex probatis num. 7. non soli, ex probatis num. 8. & 9. non omni competit constitutivo. Ergo non est recta.

13. Juxta R. P. Popiel in Logica num. 545. Hæc definitio videtur esse optima: *Constitutivum est requisitum essentiale secundùm se totum identificatum rei.* Porro juxta Eundem num. 546. *Omne illud est secundùm se totum identificatum alicui rei, quod in omni suppositione etiam impossibili non tollente seipsam requiritur essentialiter ad esse ejusdem rei.* His positis tandem eodem numero paulò inferiùs subdit: *Dici potest Constitutivum esse requisitum essentiale in omni suppositione ad esse rei.* Non rectè; quia 1mò. patet ex dictis num. 7. laudatam illam definitionem non solùm non optimam, sed nec bonam esse. 2dò. Binarius ex DEO & anima Petri, in omni suppositione possibili & impossibili non tollente seipsam, requiritur essentialiter ad esse Petri, quatenus v. g. ablato prædicto binario sive secundùm esse animæ Petri, quod est possibile, sive secundùm esse DEI, quod est impossibile, & manente per impossibile corpore Petri, ac unione ipsius cum anima Petri [quæ est suppositio impossibilis, utique non tollens seipsam] necessariò tollitur Petrus; nihilominus dictus binarius secundùm se totum non identificatur Petro, nec eundem con-

stituit

stituit. Omne quoque totum juxta Connotatistas in omni suppositione etiam impossibili non tollente seipsam, requiritut essentialiter ad suam partem actualem ut talem, & tamen juxta Oppositos non omne totum secundùm se totum identificatur suæ parti actuali ut tali, aliàs juxta adversam sententiam omne totum esset constitutivum suæ partis actualis ut talis. Unio denique physica essentialis v. g. animæ Petri cum corpore Petri requiritur ad esse Petri, idque in omni suppositione possibili, ut certum est omnibus, & impossibili non tollente seipsam, quia non est ostendibilis [quæ enim ?] ulla suppositio impossibilis non tollens seipsam, in qua prædicta unio non requiratur essentialiter ad esse Petri; nihilominus juxta R. P. Popiel 1ma Parte Physicæ Disp: 1. Quæst: 4. Artic: 4 *Unio physica essentialis non est constitutiva compositi physici*; consequenter in sententia definientis nec est identificata illi secundùm se totam. Ergo non omne illud est secundùm se totum identificatum rei, quod in omni suppositione, etiam impossibili non tollente seipsam, requiritur essentialiter ad esse rei. 3tiò Etiam DEUS PATER requiritur essentialiter ad esse DEI Filii, idque in omni suppositione, etiam impossibili non tollente seipsam, &c. ut immediatè suprà de unione; nec tamen DEUS PATER constituit Filium, ut certum est omnibus Ergo dici non potest constitutivum esse requisitum essentiale in omni suppositione ad esse rei.

14. Juxta Eundem in Logica eodem num. 546. quasi ultimò resolutoriè *Constitutivum est essentiale requisitum in omni suppositione ad esse rei, importabile in recto in explicatione recta ejusdem rei.* Similiter juxta R. P. Kobielski in Physica num. 58. *Constitutivum rei vel denominationis definitivè vel saltem circumscriptivè est requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei vel denominationis rectè*

explica-

explicata. *Dixi* inquit *definitivè vel circumscriptivè; quia utrumque optimè sustineri potest.* Non rectè; quia utraque hæc definitio nec omni, nec soli competit constitutivo, ut commodiùs declarabitur infrà §. 3tio, ubi hoc ipsum assumetur ad probandum, quod esse requisitum essentiale importatum in recto connotatistico non sit rectum etiam indicium constitutivi. Firmatur contra R. P. Kobielski. Tum quia data ab ipso definitio præjudicat sententiæ asserenti, quòd possint dari constitutiva importata & importabilia solùm in obliquo. Porro etiam juxta R. P. Kobielski in Dialectica num. 89. *Definitio non debet præjudicare sententiæ controversæ probabili.* Tum quia juxta eundem in Physica num. 39. *Hæc definitio: Constitutivum est requisitum essentiale, quo solo ablato, cæteris per possibile vel impossibile manentibus; non manet res seu denominatio, non competit omni, quia nulli* (inquit loco citato) *competit constitutivo integrali, quia ablato solo milite uno, non perit totus exercitus, quis enim ablato uno milite vel duobus dicat perire totum exercitum?* Ergo pariter, arguendo ad hominem etiam hæc definitio: *Constitutivum rei vel denominationis, est requisitum essentiale rei, importatum in recto ejusdem rei, vel denominationis rectè explicatæ;* non competit omni, quia nulli competit constitutivo integrali, nam unus v. g. miles nec est requisitum essentiale ad esse totius exercitus, nec est importabilis in recto ejusdem. Probatur 1ma pars assumpti; quia juxta Connotatistas universaliter solo ablato requisito essentiali rei, tollitur eadem res, jam autem *ablato solo milite uno non perit totus exercitus*, ut inquit ipsemet R. P. Kobielski: ac etiam dempto termino exclusivo, ablato requisito essentiali totius exercitus, sine dubio perit totus exercitus, jam verò juxta eundem R. P. Kobielski, *quis dicat ablato uno milite vel duo-*

bus perire totum exercitum? Probatur quoque 2da pars assumpti, quia unus miles, etiam cum alio vel aliis, non est affirmabilis per casum rectum de toto exercitu, falsa siquidem est hæc propositio: *Totus v.g millium 50. exercitus est miles B. & miles C.* ut est certum. Porro juxta Nostros Connotatistas Noviores illud importatur & est importabile in recto rei, quod saltem cum alio est verè affirmabile de re per casum rectum.

SECTIO 2da
Deciditur, quid sit definitivè constitutivum?

15. DICo. Constitutivum ut sic Antonomasticè tale, est requisitum essentiale ad esse rei totaliter identificatum eidem rei. Hæc definitio Nostra à definitione Rndi P. Gzowski relata num. 6. discrepat prædicato generico & differentiali, à definitione Rndi P. Radominski num. 7. R. P. Domaradzki num. 10. Rndi P. Tuchołka relata num. 12. discrepat solo prædicato differentiali, quia aliud est identificari rei *secundùm totam entitatem suam, se toto, secundùm se totum*, & aliud est identificari rei *totaliter*, ut declarabo num 25. Explico definitionis terminos, & singulorum rationem reddo.

16 *Requisitum essentiale ad esse rei*, est ens ejusmodi, sine quo res ex se ab intrinseco non potest esse ullo modo etiam per absolutam DEI potentiam. Tale requisitum creaturæ est DEUS, quia creatura ex se ab intrinseco, seu titulo connexionis cum DEO, non potest esse sine DEO ullatenus etiam per absolutam DEI potentiam, &c. Addo: *Ex, se ab intrinseco esse non potest*. Tum quia

res cum suo requisito essentiali necessariò connectitur, ut certum est omnibus. Ergo res sine suo requisito essentiali ex se ab intrinseco non potest esse ullo modo, quia connexio essentialis alicujus entis cum aliquo, est impotentia alicujus entis, adæquatè identificata (ac proinde intrinseca) eidem alicui enti, vi cujus idem aliquod ens non potest esse ullatenus sine aliquo. Tum quia non sufficit ad esse requisiti essentialis, quòd res sine aliquo ab extrinseco non possit esse etiam divinitus, aliàs conservatio Angeli esset requisitum essentiale ad esse uniuscujusq; creaturæ, quia quælibet creatura ab extrinseco, ratione decreti Divini de non annihilando unquam Angelo, etiam divinitus non potest esse sine conservatione Angeli, utpote in perpetuum conservandi infallibilissimè. Ergo ad esse requisiti essentialis requiritur, ut res sine illo ab intrinseco esse non possit ullo modo etiam divinitus.

17. Hac explicatione præmissa dicitur constitutivum Antonomasticè tale esse *requisitum essentiale ad esse rei.* Tum quia res ex se ab intrinseco non potest esse ullo modo, etiam per absolutam DEI potentiam sine suo constitutivo Antonomasticè tali, sicut totum non potest esse sine sua parte essentiali, ut certum est omnibus. Tum quia ly: *Requisitum essentiale ad esse rei*, est genus proximum constitutivi Antonomasticè talis, præfato enim complexo terminorum nihil deest, aut obest ad hoc, ut sit genus proximum dicti constitutivi, quid enim? Certè præfatum complexum terminorum convenit omni constitutivo Antonomasticè tali, cui enim non? Convenit quoque etiam nonnullis aliis, quæ non sunt constitutiva, quia etiam aliqua connotata rei sunt essentialia requisita ad esse rei. Denique convenit prædictis aliis nonnullis quantùm fieri potest, paucissimis, quia constitutivum Antonomasticè tale per nullum aliud

genus cum paucioribus convenit, per quod enim? Adverto hîc diligenter, quòd esse requisitum essentiale ad esse hominis competat etiam corpori hominis sumpto non secundùm omnes omnino suas partes, sed sumpto secundùm illas partes suas primigenias, quæ sunt inamissibiles ab homine, nisi simul instantaneè pereat vita hominis, & quibus saltem omnibus simul ablatis nec divinitus potest esse homo.

18. *Totaliter identificatum rei* est entitas vel realiter adæquatè identificata alicui rei, vel nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei, simulque pauciora entitativè dicens, quàm eadem res. Quid sit realiter identificatũ alicui? quid realiter adæquatè identificatum rei? suppono aliunde notum Philosophis. Suppono quoque aliunde notum esse, quid sit res entitativè dicens aliquid? Est nimirum res in se includens aliquid vel tanquam subjectum, vel tanquam formam suæ denominationis concretè sumptæ. His suppositis probatur explicatio, quia 1*mò* est clarior suo explicato; nam adæquatè identificari alicui rei, vel nihil habere sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei, simulque pauciora entitativè dicere, quàm eadem res, est clariùs quàm totaliter identificari rei, sicut juxta R. P. Radominski citatum num. 7. identificari aliquid alicui secundùm omnia & singula, quæ in se formaliter per identitatem continet, est clariùs quàm identificari aliquid alicui secundùm se totum, ac juxta R. P. Domaradzki citatum num. 10. nec non juxta R. P. Tuchołka citatum num. 12. nihil esse per identitatem in aliquo, quod non identificetur alii rei, est clariùs, quàm identificari aliquid alicui se toto, aut secundùm totam entitatem suam &c. 2*dò*. Eadem explicatio convenit omni totaliter identificato rei, cui enim non? Nullum certè est

ostendibi-

ostendibile totaliter identificatum rei, cui vel 1ma vel 2da pars dictæ explicationis disjunctivæ non competat, ut patebit clariùs inductione danda numero 20. 3tiò Eadem explicatio convenit soli totaliter identificato rei, cui enim præterea? Certè illa non convenit toti physico comparato ad suam partem, v. g. non convenit homini comparato ad suam animam, quia homo adæquatè sumptus nec realiter adæquatè identificatur animæ, ut certum est omnibus, nec est talis entitas, quæ nihil habeat sibi identificatum realiter, quod non identificetur animæ, quia homini identificatur corpus non identificatum animæ; nec denique homo pauciora entitativè dicit quàm sua anima, aliàs anima rationalis plus entitativè diceret, quàm constitutum ex anima rationali & corpore unitis sibi physicè, quod repugnat. Eadem quoque explicatio non competit v. g. manui dextræ vivæ comparatæ ad manum sinistram vivam, quia dextra viva nec realiter adæquatè identificatur sinistræ vivæ, ut iterū certum est omnibus; nec est entitas nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur sinistræ, quia manui dextræ vivæ identificatur sua materia 1ma realiter adæquatè distincta à materia manus sinistræ; nec denique manus eadem dextra pauciora entitativè dicit, quàm sinistra, cùm procul dubio neque plus neque minus entitativè dicat una ex illis, quàm altera. Et sic de aliis totis creatis communicantibus in aliquo 3tio individualiter uno. Ad extremum eadem nostra explicatio non competit etiam Patri æterno comparato ad Filium, nam ex una parte DEUS Pater juxta fidem realiter adæquatè non identificatur Filio. Ergo jam prima pars explicationis nostræ disjunctivæ non convenit Patri æterno comparato ad Filium. Ex altera parte licèt juxta probabilorem plurium & meam in Theologia sententiam tam Pater à Filio,

quàm Paternitas à Filiatione non distinguatur realiter adæquatè, uti docet etiam Ruiz Disp. 30. Sect. 4. ad finem num. 16. asserens in terminis *Tres relationes Divinas esse tres formalitates inter se realiter distinctas distinctione inadæquata cum identitate Divinitatis*, consequenter licèt Pater nihil habeat sibi identificatum realiter, quod non identificetur Filio, ille tamen non pauciora entitativè dicit, quàm iste, quia sicut Deus Filius entitativè dicit duo, nēpe Naturā Divinā tanquā subjectū, & identificatā Naturæ Divinæ Filiationē tanquā formā hujus denominationis metaphysicæ: *Filius*, ita Devs Pater entitativè dicit pariter duo, nempe Naturā Divinam tanquam subjectum, & identificatam Naturæ Divinæ Paternitatem tanquam formam hujus denominationis metaphysicæ: *Pater*. Ergo & 2da pars ejusdem explicationis nostræ disjunctivæ, sic completa, ut à nobis completur, non competit Patri æterno comparato ad Filium. Porro in præfata 2da parte explicationis addo ly: *Pauciora entitativè dicens, quàm eadem res.* Tum quia sicut per primam partem explicationis Nostræ disjunctivæ declarantur constitutiva realiter adæquatè identificata suis constitutis; ita per 2dā ejusdē explicationis partē declarantur constitutiva realiter inadæquatè identificata suis constitutis, quæ certè debent pauciora entitativè dicere quàm sua constituta. Tum quia illis à me additis terminis demptis, 2da pars explicationis disjunctivæ, his præcisè terminis comprehensa: *Entitas nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei*, in probabiliori sententia non distinguente realiter adæquatè Paternitatem à Filiatione, competeret etiam Patri æterno, ut patet reflectenti, ac proinde & tota definitio constitutivi conveniret eidem Patri non constitutivo Filii.

19. Firmatur prædicta explicatio, quia nulla est ostendibilis alia (quæ enim?) explicatio, per quam meliùs sine particulis disjunctivis declaretur,

quid

quid sit totaliter identificatum rei? Certè hæc explicatio: *Totaliter identificatum rei est identificatum rei secundùm omnia & singula sibi identificata*, nec omni nec soli competit totaliter identificato rei. Non competit omni; quia ex insinuatis num. 8. non competit animali, prædicato generico hominis, realiter adæquatè, ac proinde totaliter identificato homini; atque ex declaratis num 9. non competit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, in sententia eorum, qui unam Personalitatem Divinam ab altera distinguunt realiter adæquatè. Non etiam soli; quia in sententia eorum, juxta quos probabiliùs Paternitas Divina à Filiatione non distinguitur realiter adæquatè, competit etiam Patri æterno comparato ad Filium, hic enim in prædicta sententia identificatur Filio secundùm omnia & singula sibi identificata, nec tamen totaliter identificatur Filio, aliàs Pater constitueret Filium &c. Hæc quoq; explicatio: *Totaliter identificatum rei est entitas nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei, simulque pauciora entitativè dicens, quàm eadem res*, hæc inquam explicatio, his præcisè terminis comprehensa, non competit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, adæquatè, ac proinde totaliter identificatæ Filio, quia juxta probabiliorem Theologorum sententiam (quam docet etiam R. P. Gzowski in Manuscriptis de DEO à num. 57.) supradicta Essentia constituitur realiter Personis Divinis, ac proinde etiam Filio, consequenter non pauciora entitativè dicit, quàm Filius. Et hæc est necessitas, cur totaliter identificatum rei explicuerim disjunctivè. Hinc & constitutivum Antonomasticè tale ultimò resolutoriè est requisitum essentiale ad esse rei, vel realiter adæquatè identificatum eidem rei, vel nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei, simulque pauciora entitativè dicens, quàm eadem res. *Pauciora* inquam *entitativè dicens, quàm eadem res*;

non verò: *Paucioribus identificatum realiter, quàm eadem res*; quia aliàs tota prædicta definitio verificaretur de Patre æterno comparato ad Filium, siquidem DEUS Pater juxta probabiliorem Theologorum sententiam relatam numero superiore nec habet quidquam sibi identificatum realiter, quod non identificetur Filio, nec paucioribus identificatur realiter, quàm Filius.

20. Hac explicatione posita Antonomasticum Constitutivum rei dicitur num. 15. *totaliter identificatum rei*, nam 1*mò* patet id universali inductione constitutivorum tam realiter adæquatè, quàm realiter inadæquatè identificatorum suis constitutis. Sic v. g. Essentia DEI Theologicè sumpta, quæ juxta omnes constituit singulas Personas SS. Trinitatis, totaliter identificatur dictis Personis, quia Quod realiter adæquatè identificatur alicui, illud certè totaliter identificatur eidem. Ergo & quod realiter adæquatè identificatur singulis Personis SS. Trinitatis, illud totaliter identificatur iisdem. Sed Essentia DEI Theologicè sumpta, realiter adæquatè identificatur singulis Personis SS. Trinitatis, ut certum est de fide. Ergo &c. Et sic de aliis constitutivis Antonomasticè talibus, quæ realiter adæquatè identificantur suis constitutis, qualia constitutiva sunt Paternitas respectu DEI PATRIS, Filiatio respectu DEI Filii, Spiratio passiva respectu Spiritus Sancti, tam animal quàm rationale respectu hominis &c. Sic etiam corpus humanum (utique constitutivum hominis) totaliter identificatur homini, quia universaliter Omnis entitas nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur alicui rei, simulque pauciora entitativè dicens quàm eadem res, totaliter identificatur rei, nam entitas ita ut immediatè circumscripta, quantùm de se, & ex parte sua, adæquatè, consequenter totaliter identificatur rei, ac nihil habere sibi identifica-

tum

tum realiter, quod non identificetur alicui rei, simulque pauciora entitativè dicere, quàm eadem res, sufficit (cur enim non?) ad esse totaliter identifica . alicui rei. Ergo & entitas nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur homini, simulque pauciora entitativè dicens, quàm homo, totaliter identificatur homini. Sed corpus humanum est entitas nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur homini, simulque pauciora entitativè dicit, quàm homo, quia nihil est ostendibile identificatum realiter corpori humano, quod non identificetur homini, ac sine dubio plus entitativè dicit totus homo, quàm corpus, aliàs etiam in creatis totum non esset majus sua parte secundùm se entitativè sumpta. Ergo &c. Proportionatè discurrendum de anima rationali constitutiva hominis, quia & hæc nihil habet sibi identificatum realiter, quod non identificetur homini, simulque pauciora entitativè dicit, quàm homo, siquidem & intellectus, & voluntas, & memoria, & aliæ potentiæ animæ rationalis, illi juxta probabiliorem Animasticam identificatæ realiter, identificantur homini, ac procul dubio plus entitativè dicit totus homo, quàm anima. Et sic de cæteris constitutivis, quæ realiter inadæquatè identificantur suis constitutis. 2dò. Secluso hoc præcisè termino: *Totaliter*, ac manentibus cæteris, definitio constitutivi competeret v.g. Petro respectu suæ animæ quà unitæ corpori Petri concretè sumptæ, nam ex una parte anima Petri unita corpori Petri quà talis concretè sumpta, ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentiam sine Petro, quia anima Petri unita corpori Petri quà talis concretè sumpta ex se ab intrinseco nullo modo potest esse sine unione, ut est extra dubium; & hæc rursus unio non potest esse sine Petro, ut patet etiam ex auctoritate Revisorum

rum Generalium, à quibus censurata est die 3tia Maji 1668. hæc 15ta ex Physica propositio: *Unio substantialis inter materiam & formam est entitas realis ita absoluta, ut possit per absolutam DEI potentiam conservari in rerum natura etiam destructâ materiâ & formâ.* Ergo Petrus est requisitum essentiale ad esse suæ animæ quà unitæ corpori Petri concretè sumptæ. Ex altera parte idem Petrus identificatur suæ animæ quà unitæ corpori Petri concretè sumptæ ut certũ est Philosophis. Ergo &c. 3*tiò* Ly: *Totaliter identificatũ rei* est differentia ultima constitutivi Antonomasticè talis, nam præfato complexo terminorum nihil deest ad hoc, ut sit differentia ultima dicti constitutivi, quid enim? Certè dictum cõplexum terminorum convenit omni constitutivo Antonomasticè tali, ut probat universalis inductio paulò superiùs insinuata, & hæc ratio negativa: cui enĩ non? Idem quoq; cõplexum est discretivum præfati constitutivi ab omnibus illis, cum quibus idem constitutivum per genus proximum conveniebat, scilicet à connotatis, nullum siquidẽ connotatum totaliter in sensu suprà explicato identificatur rei connotanti. Deniq; idẽ complexum terminorum est ita discretivum constitutivi à connotatis, ut non sit necesse assignare quidquã ulterius, per quod ab ipsis differat, nulla siquidẽ est necessitas plus vel aliud assignandi ad ostendendã constitutivi differentiã à connotatis. His explicatis.

21. Probatur definitio, quia constat genere proximo & differentiâ ultimâ, nec ullo laborat vitio, lege Dialecticâ prohibito. Constat genere proximo; ut declaratum num. 17. Constat differentiâ ultimâ; ut declaratum numero superiori ad finem. Nullo denique laborat vitio; quo enim?

22. Ad aliqua solvenda Nota 1*mò*. Rndo P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 45. non placet in definitione constitutivi terminus *identitatis*, utpote juxta illum loco citato obscurus,

& ite-

& iterum clarioribus terminis explicandus. Cæterum quid sit identitas, supponitur aliunde notum Philosophis, ac definitionis claritas non requirit, ut singuli ipsius termini sint notissimi, nec indigeant ulteriori explicatione, cùm etiam à Connotatistis soleant explicari termini suarum definitionum. Ergo in definitione constitutivi gratìs displicet terminus identitatis. Accedit, quòd etiam juxta ipsummet R. P. Domaradzki in Logica num. 555. *Constitutivum strictè tale definitivè est requisitum essentiale se toto identificatum alii rei.* Mirum igitur est, hoc illi non placere in definitione aliena, quod eidem placuit in sua. Adverto. Cùm dicitur constitutivum esse identificatum rei, non est sensus, quòd constitutivum determinatè sit actu identificatum rei, aliàs definitio constitutivi non competeret parti purè potentiali, sed sensus est, quòd constitutivum sit indeterminatè actu vel potentiâ identificatum rei, sicut juxta communiorem Dialecticorum adversionem, cùm ab Aristotele 1mo Priorum c. 1. terminus dicitur esse id, *in quod resolvitur propositio, ut in prædicatum, & de quo prædicatur*, sensus est quòd terminus sit id, in quod actu vel potentiâ resolvitur propositio &c.

23. Nota 2dò. Definitio nostra non præjudicat sententiæ neganti constitutivum adæquatum, quia quo fundamento negant aliqui adæquatum suiipsius constitutivum, eodem fundamento possunt, imò consequenter debent negare, quòd sit aliquid requisitum essentiale ad esse suiipsius.

24. Nota 3tiò. Definitio nostra non vitiatur per hoc, quòd ex insinuatis ad finem numeri 19. ultimò resolutoriè procedat disjunctivè. Tum quia juxta omnes rectissima est hæc definitiva propositio: *Homo est animal rationale*, quæ tamen ultimò resolutoriè procedit disjunctivè, sensus enim illius est iste: *Omnis homo est aliquod animal, rationale*, præ-

dicta

dicta siquidem propositio cùm sit indefinita in materia necessaria, ex parte subjecti supponit distributivè, jam verò ex parte prædicati juxta communiorem & veriorem Philosophiam supponit disjunctivè; certeque sensus illius neque est iste: *Omnis homo est hoc animal rationale v.g. Petri*, neque iste: *Omnis homo est omne animal rationale* &c. Tum quia passim juxta Oppositos, nominatim juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 20. & juxta R. P. Kobielski in Physica num. 12. recta est hæc explicatio recti Philosophici: *Illud importatur Philosophicè in recto alicujus rei, quod saltem cum alio est verè affirmabile per casum rectum de eadem re*; quæ tamen explicatio ultimò resolutoriè procedit disjunctivè, quia ly: *Saltem* æquivalet particulæ disjunctivæ, ut docet loco citato etiam R. P. Kobielski asserens: *Particula* Saltem, *æquivalet particulæ disjunctivæ, ut facilè formanda constare potest inductione; proinde data descriptio recti æquivalet huic disjunctivæ: Rectum objectivum est objectum, quod vel se solo, vel cum alio est affirmabile verè de eadem re vel denominatione per casum rectum, puta nominativum.* Firmatur hæc instantia. Ex sensu Rndi P. Kobielski citati num. 14. *Constitutivum rei etiam definitivè est requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei rectè explicatæ*; & tamen definitio ista ultimò resolutoriè procedit disjunctivè, ut patet ex allegatis immediatè superiùs. Tum quia citra ullum vitium non solùm æquivalenter, sed formaliter disjunctivè procedit hæc communior libertatis definitio: *Libertas in actu imò est potentia, quæ habitis omnibus prærequisitis ad actum potest agere vel non agere, vel oppositum agere* ex sua determinatione &c. Tum quia definitio nostra non sine necessitate ultimò resolutoriè procedit disjunctivè ut patet ex dictis num. 19. Ergo non vitiatur per hoc, quòd ultima resolutione procedat disjuncti-

vè, quia juxta Dialecticos definitio solùm sine necessitate, quantùm fieri potest, non debet procedere disjunctivè, ut docet etiam ipse *R. P.* Kobielski in *Dialectica* num. 89. Lege 8va dicens: *Definitio non debet fieri per particulas disjunctivas, si melior definitio sine his particulis dari potest.*

25. Nota *4to* Aliud est identificari rei secundùm totam entitatem suam, aut (quod idem est) se toto, secundùm se totum, & aliud est identificari rei totaliter, quia juxta Oppositos citatos num. 7. 10. & 12. identificari rei secundùm totam entitatem suam, se toto, secundùm se totum, est aliquid identificari alicui secundùm omnia & singula sibi identificata; jam verò juxta Nos identificari rei totaliter, non est determinatè aliquid identificari alicui secundùm omnia, & singula sibi identificata; sed est indeterminatè vel identificari alicui realiter adæquatè, vel nihil habere sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei (seu identificari secundùm omnia & singula sibi identificata) simulque pauciora entitativè dicere, quàm eadem res. Porro hæc diversa esse patet ex terminis; ac identificari alicui secundùm omnia & singula sibi identificata, ex insinuatis num. 8. non competit generico ut tali prædicato hominis; ex insinuatis num. 9. in sententia Rndi P. Gzowski & sequacium, non competit Essentiæ D E I Theologicè sumptæ; constituenti v. g. DEUM PATREM; ex insinuatis num. 19 in probabiliori Theologica sententia competit etiam DEO PATRI non constituenti Filium. Secus vel identificari alicui realiter adæquatè, vel nihil habere sibi identificatum realiter quod non identificetur eidem rei, simulque pauciora entitativè dicere quam eadem res; quia 1ma pars hujus Nostri disjuncti competit tam generico ut tali prædicato hominis constituenti hominem, quàm Essentiæ DEI Theologicè sumptæ

constitu-

constituenti v. g. DEUM PATREM, siquidem illud juxta communiorem Philosophiam realiter adæquatè identificatur homini, hæc juxta fidem realiter adæquatè identificatur DEO PATRI; 2da verò pars ejusdem disjuncti sic completa, ut à Nobis completur, non competit DEO PATRI haud constituenti Filium, PATER enim juxta insinuata num. 18. non pauciora entitativè dicit, quàm Filius. Addo, quòd se toto identificatum rei non omnino exactè ab Oppositis explicetur determinatè per identificatum alicui secundùm omnia & singula sibi identificata, quia ad esse identificati rei se toto, aut secundùm totam entitatem suam non requiritur, ut istud identificetur rei secundùm omnia & singula sibi identificata, sed sufficit, ut identificetur rei secundùm omnia sua constitutiva etiam simul sumpta, siquidem ex declaratis num. 6. totum physicum suæ parti identificatur secundùm totam entitatem suam, consequenter se toto, nec tamen illud huic identificatur secundùm omnia & singula sibi identificata, certè enim v. g. homo secundùm suum corpus non identificatur suæ animæ &c. Quare se toto, secundùm se totum totamque entitatem suam identificatum rei potiùs est identificatum rei vel secundùm omnia & singula sibi identificata, vel secundùm omnia sua constitutiva simul sumpta &c.

26. Nota 5tò. Definitio nostra competit & competere debet constituto respectu sui constitutivi adæquati. v. g. homini respectu animalis rationalis, aut respectu omnium suarum partium essentialium physicarum collectivè sumptarum, homo siquidem & requiritur essentialiter ad esse animalis rationalis, aut ad esse omnium suarum partium essentialium physicarum collectivè sumptarum, ut declarabitur §. sequenti, & identificatur adæquatè ac proinde totaliter animali rationali, omnibus-

que

que suis partibus essentialibus physicis collectivè sumptis. Debet quoque competere utrique ex prædictis tanquam suo constitutivo adæquato. Hinc eadem definitio nostra competit ac competere debet constituto etiam respectu suiipsius.

27 Nota 6tò Definitio nostra competit & competere debet constituto respectu sui saltem alicujus constitutivi etiam inadæquati diversi à constitutivo inadæquato physico, quale est constitutivum inadæquatum metaphysicum imò-essentiale, v.g. genus proximum definiti, & quale est constitutivum inadæquatum etiam non imò-essentiale, realiter adæquatè identificatum suo constituto, v.g. risibile. Sic definitio prædicta competit, & competere debet v.g. DEO respectu sui prædicati generici ut talis, scilicet respectu entis realis positivi prout communis DEO & creaturæ, quod certè est inadæquatum metaphysicum constitutivum DEI, sicut animal est inadæquatum metaphysicum constitutivum hominis. Competit illa DEO respectu præfati prædicati; quia DEUS & requiritur essentialiter ad esse entis realis positivi, & adæquatè ac proinde totaliter identificatur eidem. Debet quoq; eadem competere DEO respectu præfati generis, quia DEUS est constitutivum prædicti generis, ut probo. Juxta Dialecticos omne prædicatum commune & superius est totum potestativum respectu suarum specierum vel individuorum sub illo prædicato superiore contentorum. Sed hoc genus proximum DEI: *Ens reale positivum*, est prædicatum commune & superius. Ergo prædictum genus est totum potestativum respectu suarum specierum vel individuorum sub illo prædicato superiore contentorum. Ergo prædictum genus est totum potestativum respectu DEI & creaturæ, quia DEUS & creatura continetur sub generico prædicato entis realis positivi, sicut homo & brutum continetur sub prædicato

dicato generico animalis. Ergo DEUS est pars Subjectiva, seu (ut alii vocant) potestativa prædicti generis; quia universaliter quoties aliquod ens est totum respectu alterius, toties hoc alterum est pars respectu ejusdem alicujus entis. Ergo deniq; DEUS est constitutivum prædicti generis, quia omnis pars rei est constitutivum rei. Similiter etiam creatura est constitutivum ejusdem generis, cum hac tamen fortè differentia, quòd DEUS sit essentialis pars prædicti generis, jam verò creatura sit pars ejusdem integralis; quia DEUS requiritur, creatura non requiritur essentialiter ad esse hujus prædicati generici, quod est ens reale positivum, hoc enim prædicatum genericum ab æterno existebat in Personis Divinis, non existente ab æterno ulla creatura, ac proinde data à Nobis definitio constitutivi videtur non competere creaturæ respectu entis realis positivi &c. Eadem quoque definitio nostra competit v. g. DEO PATRI respectu Essentiæ DEI Theologicè sumptæ constitutivæ DEI Patris, quia DEUS Pater & requiritur essentialiter ad Essentiam memoratam, & adæquatè ac proinde totaliter identificatur eidem. Competit denique illa etiam v. g. homini respectu risibilis constituentis hominem; hic enim iterum & requiritur essentialiter ad esse risibilis, & adæquatè ac proinde totaliter identificatur risibili. Porro Essentia DEI Theologicè sumpta, & risibile; est diversum constitutivum à constitutivo inadæquato physico; quia hoc distinguitur realiter inadæquatè à suo constituto; jam verò Essentia prædicta, & risibile non distinguitur realiter inadæquatè à suo constituto.

28. Nota 7mò. Definitio nostra non competit constituto respectu sui constitutivi inadæquati physici, quia constitutum vel non requiritur essentialiter ad esse sui constitutivi inadæquati physici; vel non identificatur eidem totaliter. 1ma pars hu-

jus immediati assumpti patet v. g. in composito humano, quod certè non requiritur essentialiter ad esse animæ rationalis secundùm se præcisè sumptæ, aliàs hæc nec divinitus esse posset extincto homine, ac proinde sublato composito humano. Patet & in constituto per aggregationem tali, v. g. in exercitu, qui certè non requiritur essentialiter ad esse unius alicujus militis gregarii &c. 2da pars ejusdem assumpti declaratur, quia constitutum neque realiter adæquatè identificatur suo constitutivo inadæquato physico, utpote juxta communissimum jam Philosophorum sensum realiter inadæquatè distinctum ab eodem; neque est entitas talis, quæ nihil habeat sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem constitutivo, simulque pauciora entitativè dicat, quàm idem constitutivum, omne siquidem constitutum coalescens ex constitutivis inadæquatis physicis vel habet aliquid sibi identificatum realiter, quod non identificetur suo constitutivo inadæquato physico, simulque plura entitativè dicit quàm idem constitutivum, vel quamvis nihil habeat sibi identificatum realiter, quod non identificetur suo constitutivo prædicto, plura tamen entitativè dicit, quàm idem constitutivum, non enim est ostendibile ullum constitutum coalescens ex constitutivis inadæquatis physicis, cui non competat vel 1ma vel 2da pars istius assumpti, quod enim? Certè compositum humanum habet aliquid (scilicet corpus) sibi identificatum realiter, quod non identificatur animæ rationali, ut est extra dubium, simulque plura entitativè dicit, quàm anima rationalis, aliàs etiam in creatis totum numero constitutivorum non esset majus sua parte physica secundùm suam præcisè entitatem sumpta. Et sic de aliis constitutis creatis, quæ coalescunt ex constitutivis inadæquatis physicis. Iam verò Trinitas Sanctissima, licèt probabiliùs ex insinuatis num.

18. nihil habeat sibi identificatum realiter, quod non identificetur v. g. DEO Patri, plura tamen entitativè dicit, quàm DEUS PATER, quia Trinitas SS. entitativè dicit tres Personas Divinas, tanquam subjectum hujus denominationis concretæ: *Trinitas*, & ternitatem tanquam formam ejusdem denominationis, sicut binarius v.g. Angelorum entitativè dicit duos Angelos tanquam subjectum hujus denominationis: *Binarius Angelorum*, & binarietatem tanquam formam ejusdem denominationis; Pater autem æternus non dicit entitativè tres Personas Divinas, cùm istæ neque sint subjectum neque forma hujus denominationis: *Pater*, sed solummodo juxta insinuata num. 18. entitativè dicit Naturam Divinam tanquam subjectum, & Paternitatem identificatam Naturæ Divinæ tanquam formam denominationis præfatæ.

29. Nota 8vò. Totum physicum, seu totum constans partibus sibi unitis physicè, non constituit ullam suam partem physicam, etiam ut actualem; ac prædicto toti comparato ad suam partem physicam, etiam ut actualem, non competit nostra definitio. V. G. homo non constituit ullam suam partem physicam etiam ut actualem, nec illi respectu hujus competit nostra definitio, prout hac inductione declaratur. 1mò. Unio actu physicè nectens materiam & formam hominis, probabiliùs est pars physica hominis, nihilque illi ita ut suprà circumscriptæ deest ad esse partis actualis; nec tamen constituitur homine, utpote realiter adæquatè distincta à materia & forma hominis. Hinc ulterius evidenter homo præfatæ unioni non identificatur totaliter in sensu expresso num. 18. ac proinde nostra definitio constitutivi non competit homini respectu ejusdem unionis. 2dò. Corpus hominis actu unitū animæ rationali est actualis pars hominis, ut est extra dubium; nec tamen corpus hominis actu unitum

tum animæ rationali, etiam concretè sumptum, constituitur homine, quia hoc concretum: *Corpus hominis actu unitum animæ rationali*, sufficientissimè constituitur entitate corporis tanquam subjecto denominationis præfatæ, & unione tanquam forma ejusdem denominationis, anima verò respectu supràdicti concreti est purum connotatum, non tamen Antonomasticè tale, sicut DEUS est merum connotatum hujus concreti: *Creatura connexa cum DEO*. Hinc ulteriùs evidenter homo totaliter non identificatur suo corpori unito animæ rationali, etiam concretè sumpto; ac proinde nostra definitio constitutivi non competit homini respectu ejusdem corporis etiam ita ut suprà circumscripti. 3*tiò*. Idem dicendum de anima rationali actu unita corpori, etiam concretè sumpta. Et sic de aliis physicis ut actualibus partibus totius physici cujuscunque.

30. Nota denique. Sicut ex prædictis totum physicum, ita & totum per aggregationem non constituit suam partem physicam, etiam ut actualem, præfatoque toti comparato ad suam partem physicam (prout contra-distinctam parti metaphysicæ) quà actualem non competit nostra definitio, nam neque v.g. miles, prout est pars actualis exercitûs, constituitur exercitu; neque musca, prout est pars actualis mundi, constituitur mundo, ut declarabitur inferiùs num. 158. consequenter & exercitus militi prout actu constituenti exercitum etiam concretè sumpto, & mundus muscæ prout actu constituenti mundum etiam concretè sumptæ, non identificatur totaliter. Similiter Petrus v. g. prout actu constituens aggregatum ex Petro & Paulo existentibus, seu prout actu in rerum natura còéxistens Paulo, concretè sumptus tam pro entitate Petri, qui est subjectum hujus denominationis: *Petrus actu còéxistens Paulo*, quàm pro còéxistentia Petri cum Paulo in rerum natura, quæ est forma

ejusdem denominationis, ac proinde prout est pars actualis aggregati ex Petro & Paulo existentibus, non constituitur eodem aggregato, quia prædictum aggregatum non identificatur totaliter Petro ita ut suprà circumscripto, siquidem aggregatum illud neque identificatur adæquatè Petro prout actu in rerum natura cóéxistenti Paulo, utpote ex declarandis num. 167. realiter inadæquatè distinctum ab eodem, neque est entitas talis, quæ nihil habeat sibi identificatum realiter, quod non identificetur Petro prout actu in rerum natura cóéxistenti Paulo, simulque pauciora entitativè dicat quàm idem Petrus prout in rerum natura cóéxistens Paulo, quia aggregatum supràdictum totidem dicit constitutiva, quot constitutiva dicit Petrus prout actu in rerum natura cóéxistens Paulo, sive reduplicatio cadat supra formam, quæ est cóéxistentia Petri cum Paulo in rerum natura, sive supra totum concretum, ut patet etiam leviter reflectenti.

§. 2dus.
Quotuplex sit constitutivum?
SECTIO IMA
Dividitur constitutivum.

31. Dico. Constitutivum Antonomasticè tale (id quod semel hìc appositum deinceps volo semper suppositum) aliud est adæquatum, aliud inadæquatum. Rursus constitutivum inadæquatum aliud est physicum, aliud metaphysicum, & hoc ultimum aliud imò essen-

tiale, aliud 2dò essentiale, aliud neq; 1mò-essentiale neq; 2dò-essentiale, seu medium per abnegationem utriusque. Constitutivum quoq; adæquatum aliud est physicū, aliud metaphysicū. Explico singula

32. *Constitutivum adaquatum*, est constitutivum rei (explicatum §. superiori) ab eadem re indistinctum etiam per rationem ratiocinatam. Sic v. g. homo est constitutivum adaquatum suiipsius, quia homo constituit seipsum, ut declarabitur sectione sequenti, ac etiam per rationem ratiocinatam non distinguitur à seipso &c. Illustratur & firmatur definitio adversionibus sequentibus. 1*mò*. Potest aliquod constitutivum esse à suo constituto indistinctum realiter, nec tamen esse constitutivum adæquatum, ut patet in quovis inadæquato constitutivo essentiæ metaphysicæ cujuscunque rei, quod constitutivum est indistinctum realiter ab essentia metaphysica rei per illud constitutæ, nec tamen est constitutivum adæquatum rei, utpote pars metaphysica ejusdem. Ergo ad rationem constitutivi adæquati non sufficit esse constitutivum rei ab eadem re indistinctum realiter. Ergo ad rationem illius requiritur, ut sit constitutivum rei ab eadem re indistinctum etiam per rationem. 2*dò*. Ad rationem ejusdem constitutivi non requiritur, ut sit constitutivum rei ab eadem re indistinctum etiam per rationem ratiocinantem, quia sicut ensis à gladio, ita v. g. animal rationale ab homine distinguitur per rationem ratiocinantem, & tamen animal rationale est adæquatum metaphysicum constitutivum hominis. Ergo ad rationem constitutivi adæquati sufficit, ut sit constitutivum rei ab eadem re indistinctum per rationem ratiocinatam. 3*tiò*. Hæc definitio: *Constitutivum adaquatum est constitutivum rei non constantis ullo alio constitutivo*, non competit adæquato constitutivo v. g. hominis, quia ultra constitutivum adæquatum hominis datur aliud

constitutivum ejusdem hominis, nempe inadæquatum. Hæc quoque definitio: *Constitutivum adæquatum est requisitum essentiale ad esse rei, ita totaliter identificatum rei, ut vicissim etiam eadem res totaliter identificetur illi requisito*, competit etiam inadæquato metaphysico constitutivo rei, v. g. competit rationali constitutivo inadæquato metaphysico hominis, quia rationale & requiritur essentialiter ad esse hominis, utpote sine quo homo ex se ab intrinseco non potest esse ullo modo etiam per absolutam DEI potentiam, & adæquatè ac proinde totaliter identificatur homini, & vicissim homo similiter identificatur rationali. Hæc etiam, à me quondam cogitata definitio: *Constitutivum adæquatum est requisitum essentiale ad esse rei, ita totaliter identificatum rei, ut nihil aliud ab illo realiter adæquatè distinctum, totaliter identificetur eidem rei*, non soli competit constitutivo adæquato, certè enim nec Paternitas DEUM PATREM, nec rationale aut animal hominem, nec manus sinistra viva adæquatè constituit binarium manu dextra viva & manu sinistra viva constitutum, quibus tamen competit prædicta definitio, ut patet reflectenti. Hæc denique definitio: *Constitutivum adæquatum est requisitum essentiale ad esse rei, totaliter identificatum rei, ultra quod nulla alia entitas, in illo non inclusa, & requiritur essentialiter ad esse ejusdem rei, & simul totaliter identificatur eidem rei*, convenit etiã Essentiæ DEI Theologicè sumptæ constituenti v. g. DEUM PATREM, quia ultra memoratam Essentiam nulla alia (quæ enim?) entitas, in illa non inclusa, & requiritur essentialiter ad esse DEI PATRIS, & simul totaliter identificatur eidem. Paternitas certè juxta probabiliorem sententiam realiter constituit Essentiam Theologicè sumptam, ac proinde includitur in illa tanquam in suo constituto. Porro Essentia prædicta non est constitutivum

adæquatum DEI PATRIS, utpote pars metaphysica ejusdem.

33. *Constitutivum inadæquatum* ut sic, est constitutivum rei ab eadem re distinctum vel realiter inadæquatè, vel per rationem ratiocinatam. Sic v.g. anima rationalis sine dubio est constitutivum inadæquatum hominis, quia & constituit hominem, utpote requisitum essentiale ad esse hominis, totaliter ex declaratis num. 20. identificatum eidem homini, & distinguitur ab illo realiter inadæquatè. Animal quoque est constitutivum inadæquatum hominis, quia & constituit essentiam metaphysicam ejusdem, & distinguitur ab illo per rationem ratiocinatam. Illustratur & firmatur definitio adversionibus sequentibus. 1*mò*. Iuxta declarata superiùs constitutivum adæquatum est constitutivum rei ab eadem re indistinctum etiam per rationem ratiocinatam, seu (quod idem est) nec realiter, nec per rationem ratiocinatam distinctum ab eadem. Ergo constitutivum inadæquatum oppositum adæquato est constitutivum rei ab eadem re distinctum vel realiter, (sine dubio non adæquatè, ac proinde inadæquatè) vel per rationem ratiocinatam, quia juxta receptum ab omnibus axioma oppositorum opposita est ratio. 2*dò* Hæc quondam à me cogitata definitio: *Constitutivum inadæquatum est requisitum essentiale ad esse rei, ita totaliter identificatum rei, ut simul etiam aliud ab illo realiter adæquatè distinctum, totaliter identificetur eidem rei*, non omni competit constitutivo inadæquato. Tum quia animal est constitutivum inadæquatum hominis, nullum tamen aliud realiter adæquatè distinctum ab eodem totaliter identificatur homini, quod enim? Certè nec rationale, nec anima rationalis, nec corpus, nec unio animæ rationalis cum corpore, realiter adæquatè distinguitur ab animali. Tum quia DEUS PATER est constitutivum inadæquatum

SS. TRINITATIS, nullum tamen aliud à DEO PATRE, realiter adæquatè diſtinctum ab eodem, totaliter identificatur SS. TRINITATI, quod enim? Certè DEUS FILIUS non eſt aliud ab æterno Patre, ut Capite: *Damnamus* definivit Concilium Lateranenſe docens: *Licèt alius ſit PATER, alius FILIUS, alius SPIRITUS SANCTUS, non tamen aliud*; ac in Divinis Filius à Patre non diſtinguitur realiter adæquatè. Iam iſta paulò correctior definitio: *Conſtitutivum inadæquatum eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe rei, ita totaliter identificatum rei, ut ſimul etiam aliqua alia entitas & requiratur eſſentialiter ad eſſe ejusdem rei, & totaliter identificetur eidem rei*, non ſoli competit conſtitutivo inadæquato, quia competit adæquato conſtitutivo v. g. hominis, hoc enim eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe hominis ita totaliter identificatum homini, ut etiam alia ab illo entitas (ſcilicet v. g. anima rationalis) & requiratur eſſentialiter ad eſſe ejusdem hominis, & totaliter identificetur eidem homini. 3*tiò*. Definitum ſuprà & declaratum conſtitutivum inadæquatum aliter Synonimicè dicitur pars rei, cujus eadem eſt omnino eſſentia, ac definitio, nec ullum eſt fundamentum diverſificandi ſignificatum unius prædictæ vocis à ſignificato alterius. Unde adverto ulteriùs, quòd etiam in Divinis ſicut dantur conſtitutiva inadæquata, ita quoque dantur partes tam phyſicæ, quàm metaphyſicæ, & ſunt omnino admittendæ ſine ullo de mera voce ſcrupulo, quia ſicut ratio conſtitutivi inadæquati, ita & ratio partis DEO non repugnat, aliàs DEUS non poſſet eſſe pars ullius rei, cùm tamen Pſalmo 15. Divinus Vates, & cum illo Eccleſia indubitanter affirmet: *Dominus pars hæreditatis meæ* &c. Deinde apud Ruiz de Trinitate Diſp. 38. ſect. 2. num. 3. Alexander Alexandrinus epiſtolâ ad Alexandrum Conſtantinopolitanum col. 5 *Patrem* appel-

lat *expletum omnibus suis partibus.* Et D. Thomas p. 3. q. 30. a. 1. ad 4tum agens de numero Personarum in DEO dicit: *Nihil prohibet in eo esse totum & partem* &c. Adverto præterea, quòd sicut de ratione constitutivi inadæquati ut sic non est, ut istud sit incompletum & imperfectum, sed ad summum solùm id est de ratione constitutivi incompleti & imperfecti, ita pariter de ratione partis ut sic non est, ut ista sit incompleta & imperfecta, sed ad summum solùm id est de ratione partis incompletæ & imperfectæ.

34. *Constitutivum inadæquatum physicum*, est constitutivum rei, ab eadem re distinctum realiter inadæquatè. Sic v.g. corpus hominis juxta omnes est constitutivum inadæquatum physicum hominis, quia sicut anima rationalis ita & corpus hominis constituit hominem, ac distinguitur ab homine realiter inadæquatè. Firmatur data à Nobis definitio rejectione aliarum definitionum. 1*mò*. Hæc definitio: *Constitutivum inadæquatum physicum est requisitum essentiale ad esse rei, ita totaliter identificatum rei, ut simul etiam aliqua alia entitas ab illo realiter adæquatè distincta, totaliter identificetur eidem rei*, non est recta, nam ad rationem constitutivi inadæquati physici non requiritur, ut entitas simul cum illo componens aliquid, sit ab illo distincta realiter adæquatè. Tum quia Pater æternus est inadæquatum physicum constitutivum SS. Trinitatis, nec tamen Filius, qui cum Patre simul constituit SS. Trinitatem, est ab illo distinctus realiter adæquatè. Tum quia etiam in creatis manus dextra viva est inadæquatum physicum constitutivum binarii manu dextra viva & manu sinistra viva constituti, nec tamen manus dextra viva, quæ simul cum sinistra viva constituit prædictum binarium, est ab illa distincta realiter adæquatè. 2*dò*. Hæc quoque definitio: *Constitutivum inadæquatum physicum est requi-*

situm essentiale ad esse rei, ita totaliter identificatum eidem rei, ut simul etiam aliqua alia entitas realiter adæquatè vel inadæquatè distincta ab eodem, & requiratur essentialiter ad esse ejusdem rei, & totaliter identificetur eidem rei, non est recta, non enim soli competit constitutivo inadæquato physico. Tum quia competit etiam adæquato constitutivo v. g. hominis, hoc enim est requisitum essentiale ad esse hominis, ita totaliter identificatum homini, ut etiam aliqua alia entitas realiter adæquatè vel inadæquatè distincta ab eodem (v. g. anima rationalis) & requiratur essentialiter ad esse hominis, & totaliter identificetur eidem. Tū quia cōpetit etiam Paternitati, inadæquato metaphysico, non physico constitutivo Essentiæ Dei Theologicè sumptæ, illa enim ad esse hujus est requisitum essentiale ita totaliter identificatum eidem, ut simul etiam aliqua alia entitas, realiter adæquatè vel inadæquatè distincta à Paternitate, (v. g. spiratio passiva) & requiratur essentialiter ad esse prædictæ Essentiæ, & totaliter identificetur eidem.

35. *Constitutivum inadæquatum metaphysicum*, est constitutivum rei ab eadem re distinctum per rationem ratiocinatā. Sic v. g rationale, prædicatum differentiale hominis, est constitutivū inadæquatum metaphysicum hominis, quia est constitutivum hominis ab eodem homine distinctum per rationem ratiocinatam. Est constitutivum hominis. Tum quia rationale est requisitum essentiale ad esse hominis, totaliter identificatum eidem homini. Tum quia juxta omnes Dialecticos rationale est differentia hominis constitutiva ipsius, siquidem juxta illos genus proximum hominis, scilicet ly : *Animal*, dividitur in rationale & irrationale, ex quibus ly : *Rationale* est differentia animalis constitutiva hominis, jam autem ly : *Irrationale* est differentia ejusdem animalis repugnans homini, ut expressè id notatur

ab omni-

ab omnibus in arbore Porphyriana. Idem quoq; rationale ab eodem homine est distinctum per rationem ratiocinatam. Tum quia sicut animal, ita & rationale formaliter ex parte actûs præscindit ab esse hominis, ut patet reflectenti ad hos conceptus metaphysicos: *Animal est vivens potens sensare. Rationale est vivens potens ratiocinari.* Ergo sicut animal, ita & rationale distinguitur ab homine per rationem ratiocinatam, quia formalis ex parte actûs præcisio unius extremi ab altero est distinctio unius extremi ab altero per rationem ratiocinatam. Tum quia rationale est pars metaphysica hominis, ut certum est omnibus. Ergo rationale distinguitur ab homine, quia universaliter omnis pars distinguitur à suo toto. Ergo rationale distinguitur ab homine vel realiter, vel per ratio nem. Non realiter. Ergo per rationem. Atqui non per rationem ratiocinantem; aliàs ab esse rationalis valeret consequentia ad esse hominis, quia universaliter ab esse unius ex distinctis per rationem ratiocinantem valet consequentia ad esse alterius ex distinctis per rationem ratiocinantem, ut patet in homine & animali rationali; in ense, & gladio &c. Ergo per rationem ratiocinatam. Et sic proportionatè de aliis constitutivis similibus, v. g. de prædicatis relativis constitutivis Essentiæ Divinæ Theologicè sumptæ, de Paternitate constitutiva DEI PATRIS, Filiatione constitutiva DEI Filii &c.

36. *Constitutivum inadæquatum metaphysicum 1mò essentiale*, est constitutivum rei, ab eadem re distinctum per rationem ratiocinatam, unum ex prædicatis illis, quæ sunt genus proximum & differentia ultima rei. Tale constitutivum v. g. hominis est animal vel rationale.

37. *Constitutivum inadæquatum metaphysicum 2dò essentiale*. est constitutivum rei, ab eadem re distinctum per rationem ratiocinatam, unum ex

prædi-

prædicatis illis, quæ sunt proprietates metaphysicæ rei, ex genere proximo & differentiâ ultimâ rei effluentes & derivatæ tanquam ex suo fonte metaphysico, vel pullulantes tanquam ex suâ radice metaphysica. Tale constitutivum v. g. hominis est vel auditivum, vel admirativum, vel risibile &c.

38. *Constitutivum inadæquatum metaphysicum neq; 1mò essentiale neq; 2dò essentiale*, est constitutivum rei, ab eadē re distinctum per rationē ratiocinatā, quod neque est genus proximum, neque differentia ultima, neque proprietas metaphysica rei. Tale constitutivum v. g. DEI Patris est Essentia DEI Theologicè sumpta, quia 1*mò* dicta Essentia est constitutivum DEI PATRIS, utpote requisita essentialiter ad esse DEI PATRIS, & totaliter identificata eidem. 2*dò*. Eadem distinguitur á DEO Patre per rationem ratiocinatam, ut certum est Theologis ex Concilio Florentino, quod Sess. 19. Essentiam & Personas docet *differre apprehensione tantùm & intelligentiâ*, ac Sess 24. sic definit: *Non re, sed sola ratione Paterna hypostasis à substantia sejungitur*, ac proinde distinguitur per rationem ratiocinatam, quia quidquid per solam rationem differt & sejungitur seu separatur ab alio, illud ab eodem alio distinguitur per rationem ratiocinatam, ut patet universali inductione. 3*tiò* Eadem Essentia non est genus proximum Patris, aliàs DEUS PATER ex suo conceptu definitivo esset Natura Divina generans Verbum, quod falsum est, cùm juxta fidem Natura Divina non sit generans Verbum, consequenter nec Pater est Natura Divina generans Verbum, &c. 4*tò*. Eadem Essentia non est differentia ultima DEI PATRIS, quia universaliter omnis differentia ultima rei est prædicatum discretivum rei ab omnibus illis, cum quibus per genus proximum res convenit. Ergo & differentia ultima DEI PATRIS est prædicatum discretivum DEI PATRIS,

ab omni-

ab omnibus illis, cum quibus per genus proximum convenit DEUS PATER. Sed Essentia DEI Theologicè sumpta non est prædicatum discretivum DEI PATRIS ab omnibus illis, cum quibus per genus proximum convenit DEUS PATER, quia hic per suum genus proximum convenit cum Filio & Spiritu Sancto, ac certè idem ab iisdem non differt per Essentiam DEI Theologicè sumptam, utpote communem omnibus & singulis Personis Divinissimis. Ergo &c. 5*tò*. Denique eadem illa Essentia non est proprietas metaphysica DEI PATRIS, quia nihil est ostendibile in DEO PATRE, respectu cujus Essentia DEI Theologicè sumpta sit proprietas metaphysica. Certè Essentia DEI Theologicè sumpta non est proprietas metaphysica ipsius Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, quia omnis proprietas rei metaphysica ab eadem re distinguitur per rationem ratiocinatam, jam autem Essentia DEI Theologicè sumpta ab Essentia DEI Theologicè sumpta non distinguitur per rationem ratiocinatam. Eadem quoque Essentia non est proprietas Paternitatis, quia juxta communem Theologorum sensum non Personalitates Divinæ sunt radix Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, sed potiùs Essentia DEI Theologicè sumpta est radix Personalitatum Divinarum tanquam suarum proprietatum.

39. *Constitutivum adæquatum physicum*, est constitutivum rei, ab eadem re indistinctum per rationem ratiocinatam, aggregatum ex inadæquatis physicis constitutivis ejusdem rei. Tale constitutivum v.g. hominis est collectio ex corpore, anima rationali, & unione utriusque.

40. *Constitutivum adæquatum metaphysicum* est constitutivum rei, ab eadem re indistinctum per rationem ratiocinatam, aggregatum ex inadæquatis metaphysicis constitutivis ejusdem rei. Tale constitutivum v.g. hominis est collectio ex animali & rationali, seu ly: *Animal rationale.*

41. Probatur prædicta divisio & singulorum dividentium membrorum definitio, quia utraque est conformis omnibus regulis Dialecticis, quæ enim, & cui non? Hinc recta est divisio constitutivi in constitutivum etiam adæquatum & inadæquatum. Inde tamen non sequitur, quòd detur aut possibile sit constitutivum adæquatum, quia potest esse recta divisio in membra etiam talia, quorum unum est possibile, alterum impossibile, ut patet in his communissimis divisionibus: *Ens ut sic aliud est reale, aliud chimæricum; Infinitum purè creatum aliud est Syncategorematicum, aliud Categorematicum simpliciter tale*, utique juxta probabiliorem Philosophiam implicatorium &c. Quare etiam stante rectitudine divisionis supradictæ, meritò inter Recentiores quæritur, an possibile sit constitutivum adæquatum?

SECTIO 2da.

Deciditur existentia constitutivi adæquati.

42. DIco. Datur constitutivum rei adæquatum. Est assertio contra R. P. Josephum Domaradzki in Physica num. 28. subscribentem negativæ opinioni. Hanc affirmativam sententiam supponunt plures Philosophi & Theologi, qui non infrequenter, ac sine dubio prudentissimè inquirunt, quo constituatur adæquatè hoc vel illud compositum, v.g homo, vel aliud quidpiam? atque his terminis propositam decidunt quæstionem. Sic (ut mittam alios) Esparza de Gratia Quæst. 15. quærit in terminis: *Utrum auxilia actualia gratiæ constituantur adæquatè per illustrationes & inspirationes supernaturales?* multisque

alle-

allegatis in probationem opinionis affirmativæ, concludit ita: *Constat igitur ex his omnibus auxilia actualia gratiæ adæquatè constitui per solas illustrationes & inspirationes.* Teste quoque R. P. Młodzianowski Tract. 1. de Sacramentis Disp. 1. num. 71. idem Esparza Quæst. 4. dicit: *Nihil destingui adæquatè vel inadæquatè potest ab iis omnibus simul sumptis, per quæ ipsum adæquatè constituitur.* R. P. Morawski in Principiis totius Philosophiæ Disput. 4. Quæst. 2. §. 8. *Cùm nihil* (inquit) *possit à parte rei manere sine seipso; cumque solùm adæquatum constitutivum intrinsecum Paternitatis sit ipsa Paternitas; manifestè implicat manere à parte rei solum adæquatum constitutivum intrinsecum Paternitatis & non manere Paternitatem &c.* Viva etiam in suo cursu Theologico Parte 8. Disp. 1. Quæst. 1. Artic. 1. num. 5. ait: *Advertendum non negari à Nobis, quòd mera carentia gratiæ sit constitutivum inadæquatum peccati habitualis, quippe quod adæquatè constituitur per peccatum præteritum moraliter perseverans in reatu odii Divini, & pœnæ æternæ &c.* Ergo ab Esparza, R.P. Morawski & Viva supponitur, quòd non repugnet constitutivum adæquatum. Idem constitutivum expressè asserit, probat, & defendit Doctissimus Auctor Dissertationis Philosophicæ de Connotatis & Constitutivis Denominationum Disp. 2. num. 58. ac plures etiam ex Connotatistis Nostris cum R.P. Gzowski, ut R.P. Radominski in Logica num 539. R. P. Popiel in Logica num. 563. R. P. Kobielski in Physica num. 126. R. P. Tuchołka in Logica numero 162.

43. Probatur 1*mò* assertio. Homo v. g. adæquatè sumptus, adæquatè constituit seipsum. Ergo datur, ac proinde possibile est constitutivum adæquatum. Probatur Antecedens. Homo adæquatè sumptus constituit seipsum. Ergo adæquatè vel in-

adæquatè constituit seipsum, quia constitutivum adæquatè dividitur in constitutivum adæquatum & inadæquatum. Atqui homo adæquatè sumptus non constituit inadæquatè seipsum, aliàs homo adæquatè sumptus distingueretur inadæquatè à seipso, quia omne constitutivum inadæquatum distinguitur inadæquatè à suo constituto &c. Ergo homo adæquatè sumptus, adæquatè constituit seipsum. Probatur Antecedens. Homo adæquatè sumptus est requisitum essentiale ad esse suiipsius, totaliter identificatum sibiipsi. Ergo constituit seipsum. Consequentia patet, quia universaliter omne requisitum essentiale ad esse rei, totaliter identificatum eidem rei, est constitutivum rei Antonomasticè tale, ut constat inductione omnium constitutivorum, nec id infringi potest ullâ instantiâ extra controversiam tali: ac constitutivum ut sic Antonomasticè tale ex suo conceptu definitivo est requisitum præfatis terminis circumscriptum, prout est declaratum à num. 15. neque datur ulla definitio constitutivi melior definitione nostra, quæ enim? nulla certè ex rejectis §. superiore. Antecedens probatur per partes. Imprimis homo adæquatè sumptus ex se ab intrinseco non potest esse sine seipso ullo modo etiam per absolutam DEI potentiam, aliàs homo adæquatè sumptus posset entitativè seperari à seipso. Ergo homo adæquatè sumptus est requisitum essentiale ad esse suiipsius, quia ex declaratis num. 16. requisitum essentiale ad esse rei est ens ejusmodi, sine quo res ex se ab intrinseco non potest esse ullo modo etiam per absolutam DEI potentiam. Addo. Sine quo homo nec divinitus existere potest, illud juxta R. P. Domaradzki est essentiale requisitum ejusdem hominis, quia juxta illum in Logica num. 554. *requisitum essentiale est, sine quo nec divinitus res existere potest.* Sed homo sine seipso nec divinitus existere potest. Ergo homo est essentiale requisi-

requisitum suiipsius. Deinde homo adæquatè sumptus, realiter adæquatè identificatur sibiipsi, ut est extra dubium. Ergo totaliter identificatur sibiipsi, quia quod realiter adæquatè identificatur alicui, illud certè totaliter identificatur eidem.

44. Firmatur *imò* suprà data probatio, & quòd homo adæquatè sumptus (ut hìc semel pro semper id appono deinceps supponendum) constituat seipsum, deducitur ex quacunque definitione constitutivi, studiosè non præjudicante constitutivo adæquato. Tum quia solo per possibile vel impossibile ablato homine, immediatè & formaliter tollitur idem ipse homo, certè enim solo ablato homine sive secundùm omnes simul partes suas, sive secundùm quamcunque demum etiam solam partem suam, immediatè & formaliter tollitur homo. Ergo relata num. 2. definitio constitutivi competit homini respectu suiipsius. Tum quia homo ex declaratis numero superiore est requisitum essentiale ad esse suiipsius, quo solo ex dictis immediatè superiùs ablato tollitur idem ipse homo. Ergo relata num. 3. definitio constitutivi competit homini respectu suiipsius. Tum quia homo secundùm totam entitatem suam identificatur sibiipsi. Ergo relata num. 6. definitio constitutivi competit homini respectu suiipsius. Tum quia homo est requisitum essentiale suiipsius, ut declaratum numero superiore, identificatum sibiipsi secundùm se totum, seu secundùm omnia & singula, quæ in se formaliter per identitatem continet. Ergo relata num. 7. definitio constitutivi competit homini respectu suiipsius. Tum quia homo est requisitum essentiale secundùm totam entitatem suam realiter identificatum sibiipsi. Ergo relata num. 12. definitio constitutivi competit homini respectu suiipsius. Tum quia homo est essentiale requisitum in omni suppositione (possibili & impossibili non tollente

seipsam) ad esse suiipsius, importabile in recto in explicatione recta suiipsius, ut quoad 1mam partem deductum est numero superiore, quoad 2dam partem in simili declarabitur hic paulò inferiùs in confirmatione 2da. Ergo relata numero. 14. definitio constitutivi competit homini respectu suiipsius. Firmatur 2dò ex doctrina ipsiusmet R. P. Domaradzki. Quod est requisitum essentiale suiipsius importatum in recto suiipsius, illud est constitutivum suiipsius, quia universaliter juxta R. P. Domaradzki requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei est constitutivum rei, nam secundùm illum in Logica num. 574. *Signum discretivum constitutivi etiam latiùs talis* (seu ex ejusdem sensu adæquati) *à connotato est hoc*: *Constitutivum denominationis est requisitum essentiale, quod importatur in recto ejusdem denominationis*, ac in Compendio Connotatorum num. 22. *Signum constitutivi etiam latiùs talis est hoc*: *Constitutivum denominationis est requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei*. Sed homo est requisitum essentiale suiipsius importatum in recto suiipsius. Est requisitum essentiale suiipsius; ut declaratum numero superiore, & patebit ex sensu ipsiusmet R. P. Domaradzki referendo proximè in confirmatione sequenti. Est quoque requisitum importatum in recto suiipsius; quia in hac recta explicatione hominis: *Homo est collectio ex corpore & anima rationali unitis sibi*, ly: *Homo* importatur in recto, siquidem ly: *Homo* est verè affirmabile per casum rectum sicut de prædicta collectione, ita & de homine, quod juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 576. ac in Compendio Connotatorum num. 20 est importari in recto. Ergo &c. Firmatur 3tiò. Juxta eundem R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 20. *Ly*: *Hic homo est constitutivum adæquatum Petri quia se solo est verè affirmabilis de Petro*, &

tro, & requiritur essentialiter ad Petrum. Ergo hic homo adæquatè constituit Petrum, seu seipsum.

45. Ad urgendum contra responsiones Nota 1*mò*. R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 20. sic habet: *Quod se solo est affirmabile de aliqua re, si essentialiter requiritur ad eandem rem, est constitutivum latiùs tale, seu adæquatum.* Hinc dici potest, quòd homo adæquatè sumptus est constitutivum suiipsius latiùs tale, non verò strictè tale. *Contra est.* Tum quia sicut adæquata essentia rei est essentia rei strictè, non latiùs talis, ita adæquatum constitutivum rei est constitutivum rei strictè, non latiùs tale. Tum quia constitutivum adæquatum est verè & propriè constitutivum, aliàs assertum ab Opposito, citatumque numero superiore in confirmatione 2da signû constitutivi non soli competeret constitutivo strictè & propriè tali, quia competeret etiam illi, quod non est verè & propriè constitutivum, scilicet competeret constitutivo adæquato. Ergo constitutivum adæquatum non est constitutivum latiùs tale. Tum quia ex declaratis superiùs constitutivò adæquato competit definitio constitutivi ut sic. Ergo constitutivum adæquatum est constitutivum strictè, non latiùs tale, quia sicut cui competit definitio hominis ut sic, illud est homo strictè, non latiùs talis, ita cui competit definitio constitutivi ut sic, illud est constitutivum strictè, non latiùs tale.

46. Nota 2*dò*. Dici potest, quòd constitutivo adæquato non competat definitio constitutivi ut sic strictè talis, quia juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 555. *Constitutivum strictè tale definitivè est requisitum essentiale se toto identificatum alii rei.* Porro nulla res est alia simpliciter à seipsa. *Contra est.* Tum quia præfata definitio non est recta ut patet ex dictis num. 10. Tum quia in

eadem definitione per identificatum alii rei vel intelligitur identificatum alii per rationem rei, vel intelligitur identificatum alii realiter rei. *Si 1mum.* Ergo præfata definitio competit etiam constitutivo adæquato, quia constitutivum adæquatum à suo constituto distinguitur per rationem saltem ratiocinantem, nam sicut ensis & gladius, ita v. g. homo & animal rationale, hic homo & Petrus, imò etiam homo adæquatè sumptus positus pro subjecto idemque homo positus pro prædicato propositionis, distinguuntur per rationem ratiocinantem, ut communiter docent Philosophi. *Si 2dum.* Ergo præfata definitio neque convenit Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, neq; convenit huic formalitati: *Rationale*, cùm nec Essentia DEI Theologicè sumpta realiter distinguatur à Patre, nec rationale ab homine &c. Porro præfata Essentia juxta omnes Theologos est constitutiva v.g. DEI Patris, & rationale ex declaratis num. 35. juxta omnes Philosophos est differentia animalis constitutiva hominis.

47. Nota 3*tiò*. Iuxta eundem R. P. Domaradzki in Physica num. 32. *Sicut falsum est, quòd homo sit exigitus essentialiter à seipso, sit relatus ad seipsum, ita falsum est quòd requiratur ad seipsum, quia requisitum essentiale est id, sine quo res propter exigentiam metaphysicam existere non potest. Porro exigentia juxta omnes debet esse ad aliud.* Hactenus ille. *Contra est.* Tum quia hic homo requiritur essentialiter ad Petrum, ut docet ipse R. P. Domaradzki citatus ad finem numeri 44. Ergo non est falsum, quòd homo requiratur ad seipsum, quia hic homo requisitus essentialiter ad Petrum est homo requisitus ad seipsum. Tum quia in explicatione requisiti essentialis data ab Opposito, nomine exigentiæ metaphysicæ vel intelligitur exigentia strictè talis (quæ est innatus appetitus deside-

rii, quo aliquà res fertur in aliquod bonum sibi conveniens, & seipsa aliquomodo, naturâ scilicet vel tempore posterius, non sine aliqua connexione cum eodem,) vel intelligitur exigentia latiùs talis. *Si 1mum* Ergo explicatio non competit DEO essentialiter requisito ad esse creaturæ, quia creatura strictè non exigit DEUM, aliàs hic non esset supra vires creaturæ strictè exigentiales, ac proinde DEUS non esset ens supernaturale, quod est contra communiorem cum D. Thoma sententiam. *Si 2dum*. Ergo definitio illa requisiti competit constitutivo etiam adæquato, v. g. competit animali rationali adæquatè constitutivo hominis, quia animal rationale metaphysicè exigitur ab homine exigentiâ latiùs tali sumpta pro connexione alicujus cum aliquo, siquidem animal rationale connectitur cum homine, aliàs nulla esset hæc consequentia: *Petrus est animal rationale. Ergo Petrus est homo*, quia juxta Dialecticos ad rectam illationem Consequentis ex Antecedente requiritur connexio Antecedentis cum Consequente; unde non valet hæc vel similis illatio: *Petrus est animal. Ergo Petrus est homo*, quia esse animalis non connectitur cum esse hominis, &c. Tum quia fallum est quòd exigentia debeat esse ad aliud, quia sine dubio Pater æternus exigit Filium, nec tamen hæc exigentia est ad aliud, siquidem juxta Concilium Lateranense citatum num. 33. Filius non est aliud à Patre, &c.

48. Nota denique. Dici potest, quòd etiam connexio (ad quam etiam à Nobis recurritur ultimò in explicatione requisiti essentialis) sit ad aliud, utpote impotentia unius ad esse sine alio. *Contra est*. Tum quia DEUS PATER connectitur cum Filio, nec tamen hæc DEI PATRIS connexio est ad aliud, Filius enim ex insinuatis numero superiore non est aliud à PATRE. Tum quia dum

connexio dicitur esse īpotentia unius ad esse sine alio, vel intelligitur īpotentia unius ad esse sine alio realiter distincto, vel intelligitur impotentia unius ad esse sine alio per rationem distincto. *Si 1mum.* Ergo definitio connexionis non competit animali rationali, quod ex declaratis numero superiore connectitur cum homine. *Si 2dum.* Ergo definitio connexionis competit constitutivo etiam adæquato, v. g. animali rationali distincto per rationem ratiocinantem ab homine &c. Quare potiùs connexio ut sic, est impotentia entis, adæquatè identificata eidem enti, vi cujus ens non potest esse sine aliquo, sicut juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 336. *identitas est unitas saltem partialis, propriè talis, aliquorum inter se, non verò unitas alicujus cum alio &c.* Porro sic definita connexio ut sic competit v. g. etiam homini respectu suiipsius &c.

49. Probatur 2dò assertio. Essentia adæquata v. g. hominis est constitutivum adæquatum hominis. Ergo datur constitutivum adæquatum. Probatur Antecedens. Si omnes collectivè partes hominis sunt constitutivum adæquatum hominis, tunc essentia adæquata hominis est constitutivum adæquatum hominis, quia omnes collectivè partes hominis sunt essentia adæquata hominis. Sed omnes collectivè partes hominis sunt constitutivum adæquatum hominis. Ergo &c. Probatur Minor. Quo per possibile vel īpossibile quomodocunq; ablato, & ōnibus aliis ab illo realiter adæquatè distinctis, sive certò, sive probabiliter talibus, per possibile vel impossibile manentibus, tollitur homo, ac quo solo posito ponitur aut poneretur homo, illud est constitutivum adæquatum hominis. Est constitutivum hominis; quia universaliter quo per possibile vel impossibile quomodocunque ablato, & omnibus aliis ab illo realiter adæquatè distinctis, sive certò sive probabiliter talibus, per possibile vel impossibile ma-

nenti-

nentibus, tollitur res, illud est constitutivum rei, ut declarabitur §. sequente. Est quoque adæquatum constitutivum hominis; quia solo posito inadæquato constitutivo hominis, certè non ponitur, nec poneretur homo. Sed per possibile vel impossibile ablatis quomodocunque omnibus collectivè partibus hominis, & omnibus aliis ab iisdem realiter adæquatè distinctis, sive certò sive probabiliter talibus, per possibile vel ipossibile manentibus, tollitur homo, ut est evidens ex terminis, ac solis positis omnibus collectivè partibus hominis ponitur aut poneretur homo, quia non positis per impossibile quibuscunque entibus realiter adæquatè distinctis ab aggregato omnium partium hominis, & posito aggregato omnium partium hominis, poneretur homo, aliàs non positis per impossibile quibuscunque entibus realiter adæquatè distinctis ab eo, cui realiter adæquatè identificatur homo, & posito eo, cui realiter adæquatè identificatur homo, non poneretur homo, quod certè implicat, quia implicat non poni hominem posito eo, cui realiter adæquatè identificatur homo. Ergo omnes collectivè partes hominis sunt constitutivum adæquatum hominis. Adverto, quòd olim meâ memoriâ ab omnibus passim Philosophis hæc Major pro inconcusso habebatur principio constitutivi adæquati: *Quo solo ablato tollitur v. g. homo, & quo solo posito ponitur homo, illud est constitutivum adæquatum hominis.* Ceterum dicta propositio non convincit, quia solo ablato secundùm suam utramque simul partem aggregato ex DEO & Petro tollitur Petrus, & solo posito aggregato prædicto ponitur Petrus, nec tamen præfatum aggregatum secundùm suam utramque simul partem est constitutivum Petri. Iam contra Majorem nostri hìc argumenti eadem non valet instantia, quia falsum est, quòd ablato quomodocunque aggregato ex DEO & Petro tollatur Petrus, siquidem præ-

fato aggregato ablato præcisè secundùm entitatem solius DEI non tollitur Petrus.

50 Probatur 3*tiò* assertio. Negato constitutivo adæquato & admissis principiis Connotatisticis, adæquata essentia physica v. g. hominis est Antonomasticum connotatum hominis. Hoc implicat. Ergo admissis principiis Connotatisticis non est negandum constitutivum adæquatum. Minor patet, quia sicut implicat, ut adæquata essentia metaphysica hominis sit Antonomasticum connotatum hominis, ita implicat, ut adæquata essentia physica hominis sit Antonomasticum connotatum hominis, aliàs de adæquata essentia metaphysica hominis & de adæquata essentia physica hominis, realiter adæquatè omnimodè sibi identificatis verificarentur simul prædicata contradictoria non salvabilia per quidquam, dareturque connotatum rei non solùm purè extrinsecum ac semiextrinsecum, sed etiam adæquatè intrinsecum rei. Major probatur. Negato constitutivo adæquato, & admissis principiis Connotatisticis, adæquata essentia physica hominis est requisitum essentiale hominis non constitutivum hominis, quo solo ablato perit homo. Ergo negato constitutivo adæquato, & admissis principiis Connotatisticis adæquata essentia physica hominis est Antonomasticum connotatum hominis. Consequentia patet, quia juxta communem Connotatistarum sensum connotatum Antonomasticè tale ex suo conceptu definitivo est requisitum essentiale rei, non constitutivum ejusdem rei, quo solo ablato perit eadem res, ac proinde universaliter requisitum essentiale rei, non constitutivum ejusdem rei, quo solo ablato perit eadem res, est connotatum Antonomasticè tale, consequenter & requisitum essentiale hominis non constitutivum hominis, quo solo ablato perit homo, est Antonomasticum connotatum hominis. 3*tia pars Antecedentis* liquet, quia certè tam se-

cundùm Nos, quàm secundùm Connotatistas solâ ablatâ essentiâ physicâ hominis perit homo. *2da pars Antecedentis* in sententia Rndi Patris Domaradzki est evidens, quia adæquata essentia physica hominis non potest esse constitutivum hominis nisi adæquatum, quod juxta illum implicat. *1ma pars Antecedentis* probatur. Tum quia ly: *Hic homo requiritur essentialiter ad Petrum*, ut in terminis docet ipse prædictus Recentior in Compendio Connotatorum num. 20. Ergo per omnimodam paritatem rationis & adæquata essentia physica hominis requiritur essentialiter ad hominem, seu ad esse hominis. Tum quia anima rationalis & corpus unita sibi sunt requisitum essentiale hominis, quia sine anima rationali & corpore unitis sibi nec divinitus homo existere potest, jam verò juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 554. *requisitum essentiale est, sine quo nec divinitus res existere potest.* Sed juxta omnes Connotatistas adæquata essentia physica hominis est anima rationalis & corpus unita sibi, quid enim juxta illos aliud est adæquata essentia physica hominis præter animam rationalem & corpus unita sibi? Ergo &c. Tum quia idem manifestum est etiam ex nostra definitione requisiti essentialis data num. 16. Tum quia adæquatæ essentiæ physicæ hominis nihil deest ex requisitis ad esse requisiti essentialis, quid enim? Certè ad esse requisiti essentialis non requiritur, ut istud sit realiter distinctum ab eo, cujus est requisitum, aliàs rationale non esset requisitum essentiale ad esse hominis, consequenter nec esset constitutivum hominis, quod est contra communem omnium Dialecticorum sensum ex declaratis num. 35.

51. Firmatur immediata probatio. Cui respectu hominis competit, quidquid est de ratione connotati strictè talis, illud est connotatum strictè Antonomasticè tale. Sed adæquatæ essentiæ

physicæ hominis respectu hominis competit, quidquid est de ratione connotati strictè talis. Ergo &c. Probatur Minor. Iuxta R. P. Domaradzki in Logica num. 556. *de ratione connotati sunt quatuor. 1mum, ut sit requisitum essentiale. 2dum, ut sit requisitum essentiale aliûs rei. 3tium, ut illo solo ablato pereat res. 4tum., ut non sit constitutivum.* Hinc juxta eundem ibidem *Connotatum strictè tale definitur saltem circumscriptivè esse requisitum essentiale aliûs rei, quo solo ablato perit eadem res, neque tamen est constitutivum illius.* Sed adæquatæ essentiæ physicæ hominis respectu hominis competunt hæc omnia quatuor. Ergo adæquatæ essentiæ physicæ hominis respectu hominis competit, quidquid est de ratione connotati strictè talis. Probatur Minor per partes. Tum quia adæquata essentia physica hominis, non est constitutivum hominis juxta oppositum Ergo cōpetit illi 4tum essentiale prædicatum connotati strictè talis. Tum quia solâ ablatâ adæquatâ essentiâ physicâ hominis tollitur homo, ut tam Nobis certum est, quàm Oppositis. Ergo competit illi 3tium essentiale prædicatum connotati strictè talis. Tum quia adæquata essentia physica hominis est requisitum essentiale hominis, ut declaratum est numero superiore. Ergo adæquata essentia physica hominis est requisitum essentiale aliûs rei; ac proinde competit illi & 2dum & 1mum essentiale prædicatum connotati strictè talis. Probatur immediata consequentia. Homo est simpliciter alia res ab adæquata essentia physica hominis. Ergo si &c. Probatur Antecedens. Imprimis homo est per rationem alia res ab adæquata essentia physica hominis, quia homo per rationem saltem ratiocinantem distinguitur sicut ab adæquata essentia metaphysica hominis, scilicet ab animali rationali, ita & ab adæquata essentia physica hominis, scilicet ab anima rationali ac corpore unitis sibi simul sumptis,

ptis, ut certum est omnibus. Ergo homo est simpliciter alia res, ab adæquata essentia physica hominis, quia ab alietate in specie tali valet consequentia ad alietatem simpliciter, sicut ab animali rationali valet consequentia ad animal simpliciter, cùm universaliter juxta Dialecticam à specie ad genus recta fit progressio per particulam: *Ergo.* Porro juxta omnes alietas ut sic abstractissimè sumpta est genus, jam verò alietas per rationem est species alietatis ut sic &c. Deinde in sententia R. P. Domaradzki homo est res alia realiter ab adæquata essentia physica hominis, ut probo. Si homo est res alia realiter ab anima rationali & corpore unitis sibi, tunc in sententia præfati Recentioris homo est res alia realiter ab adæquata essentia physica hominis, quia in sententia sicut aliorum passim Connotatistarum, ita & præfati Recentioris adæquata essentia physica hominis nihil aliud est, nisi anima rationalis & corpus unita sibi. Sed homo est res alia realiter ab anima rationali & corpore unitis sibi. Ergo &c. Probatur Minor. Si de homine, & anima rationali ac corpore unitis sibi, verificantur prædicata contradictoria, tunc in sententia præfati Recentioris & aliorum communiùs, homo distinguitur realiter ab anima rationali & corpore unitis sibi, quia juxta præfatum R. P. Domaradzki in Logica num. 338. *Verificatio realis prædicatorum contradictoriorum de rebus propriè talibus in creatis est signum distinctionis realis convertibile cum distinctione reali.* Sed de homine, & de anima rationali ac corpore unitis sibi verificantur prædicata contradictoria. Ergo homo distinguitur realiter, ac proinde est res alia realiter ab anima rationali & corpore unitis sibi. Probatur Minor. Homo juxta R. P. Domaradzki non constituit hominem, seu seipsum, aliàs contra mentem ejusdem daretur constitutivum adæquatum. E contra anima rationalis & corpus unita sibi juxta

eundem

eundem constituunt hominem. Ergo de homine, anima rationali ac corpore unitis sibi verificantur prædicata contradictoria. Probatur 2da pars Antecedentis. Quæ sunt requisita essentialia hominis, ac importantur in recto hujus denominationis: *Homo*, illa juxta R. P. Domaradzki constituunt hominem, quia universaliter juxta eundem in Compendio Connotatorum num. 22. *Constitutivum denominationis est requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei*, ac in Logica num. 574. *Constitutivum denominationis est requisitum essentiale, quod importatur in recto ejusdem denominationis*; atque hoc juxta eundem ibidem est signum discretivum constitutivi à connotato. Sed anima rationalis & corpus unita sibi sunt requisita essentialia hominis, ac importantur in recto hujus denominationis: *Homo*. Ergo &c. Sunt requisita essentialia hominis, ut declaratum est ad finem numeri superioris. Importantur quoque in recto hujus denominationis: *Homo*, ut tali deduco argumento ad hominem. Quod est verè affirmabile per casum rectum de homine, illud importatur in recto hujus denominationis: *Homo*, quia universaliter juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 20. *illud importatur Philosophicè in recto alicujus rei, quod saltem cum alio est verè affirmabile per casum rectum de eadem re*, ac juxta eundem in Logica num. 576. *rectum denominationis Philosophicè tale, est requisitum essentiale saltem latiùs tale denominationis, in aliqua propositione affirmabile per casum rectum de eadem omnino denominatione*. Sed anima rationalis & corpus unita sibi, juxta eundem sunt verè affirmabilia per casum rectum de homine, ut patet in hac (quæ ab ipsomet illo in Logica num. 576. pro exemplo prædictæ explicationis ponitur & supponitur ut vera) propositione: *Petrus est anima & corpus unita secum*. Ergo anima rationalis & corpus unita sibi, importan-

importantur in recto hujus denominationis *Homo.* Neque id negari potest a R. P. Domaradzki, nam juxta ipsius Physicam num. 475. *In composito substantiali per se plura debent importari in recto, & quidem materia ac forma. Tum quia universaliter omne omnino compositum quale cunque debet plura importare in recto, ut patet inductione binarii, exercitûs, totius mundi &c. Tum quia de omni composito verè sunt affirmabilia plura in recto &c.*

52. Dices fortè, & sic distingues principale in hac confirmatione argumentum. Anima rationalis & corpus unita sibi distributivè sumpta constituunt hominem, concedes. Anima rationalis & corpus unita sibi, collectivè sumpta, constituunt hominem, negabis. Ergo de homine, & anima rationali ac corpore unitis sibi, distributivè sumptis, verificantur prædicata contradictoria, concedes. Ergo de homine, & anima rationali ac corpore unitis sibi, collectivè sumptis, verificantur prædicata contradictoria, negabis. quia sicut homo non constituit hominem, seu seipsum, ita & omnes partes hominis collectivè sumptæ, realiter indistinctæ ab homine, non constituunt hominem. Contra est *imò.* Anima rationalis & corpus unita sibi, distributivè sumpta, ut talia, in Connotatistica sententia non constituunt hominem. Ergo concessa pars distinctionis in sententia opposita non subsistit. Probatur Antecedens. Anima rationalis & corpus unita sibi distributivè sumpta, ut talia, non importantur in recto hujus denominationis: *Homo* Ergo in Connotatistica de constitutivis sententia non constituunt hominem. Consequentia patet, quia juxta Connotatistas, & nominatim juxta R. P. Domaradzki ex allegatis numero superiore omne constitutivum denominationis debet importari in recto ejusdem denominationis. Antecedens probatur. Quod importatur in recto hujus henominnationis: *Homo.* illud

juxta Connotatistas, & nominatim juxta R. P. Domaradzki citatum superiùs, est affirmabile verè per casum rectum de homine. Sed anima rationalis & corpus unita sibi, distributivè sumpta, ut talia, non sunt verè affirmabilia per casum rectum de homine, aliàs vera esset hæc simpliciter sine ullo addito prolata propositio: *Homo est qualibet pars sua*, ac proinde vera esset & hæc simpliciter prolata propositio: *Homo est v. g. anima rationalis unita corpori*, quo certè quid à vero magis alienum? Ergo &c. Contra est 2dò. Anima rationalis & corpus unita sibi, collectivè sumpta constituunt hominem. Ergo negata pars distinctionis non subsistit. *Probatur* Antecedens Connotatisticè ad hominem. Quæ sunt requisita essentialia hominis, verè affirmabilia per casum rectum de homine, illa constituunt hominem, ut certum est Nostris Connotatistis. Sed anima rationalis & corpus unita sibi, collectivè sumpta, sunt requisita essentialia hominis, verè affirmabilia per casum rectum de homine. Ergo &c. Sunt requisita essentialia hominis; ut ad finem numeri 50. est deductum. Sunt quoque verè affirmabilia per casum rectum de homine, ut probo. Omnes partes essentiales hominis simul sumptæ, sunt verè affirmabiles per casum rectum de homine, quia partes essentiales hominis omnes simul sumptæ sunt collectio ex omnibus partibus essentialibus hominis, realiter adæquatè identificata homini, ac proinde verè affirmabilis per casum rectum de homine. Sed anima rationalis & corpus unita sibi, collectivè sumpta, sunt omnes partes essentiales hominis simul sumptæ, quid enim præterea juxta R. P. Domaradzki & rigidiores Connotatistas sunt partes essentiales hominis omnes simul sumptæ? Certè juxta illum in Physica num. 473. *Unio essentialis non est constitutivum, sed connotatum strictè tale compositi substantialis.* Ergo &c. Contra est 3tiò.

Anima

Anima rationalis, & corpus unita sibi, collectivè sumpta, requiruntur essentialiter ad esse hominis, ut ad finem numeri 50. est deductum; non constituunt hominem, ut conceditur; ac solis illis ablatis tollitur homo, ut certum est tam Nobis, quàm Oppositis. Ergo anima rationalis & corpus unita sibi, collectivè sumpta, sunt Antonomasticum connotatum hominis, quia juxta Defensores suos Antonomasticum connotatum rei, est requisitum essentiale rei, non constitutivum ejusdem rei, quo solo ablato perit eadem res. Ergo denique adæquata essentia physica hominis est Antonomasticũ connotatum hominis, quod num. 50. hæc assumpsit probatio.

53. Objicitur 1*mò* à R. P. Domaradzki in Physica num. 29. Implicat pars adæquata. Ergo pariter implicat constitutivum adæquatum: quia quæcunque ratio probat implicare partem adæquatam, eadem probat implicare constitutivum adæquatum. Respondeo retorquendo argumentum. Implicat pars adæquata. Ergo ĩplicat & essentia adæquata, quia ex declararis superiùs essentia rei adæquata est constitutivũ rei adæquatũ. Directè nego consequentiã cum sua ratione. Disparitas est, quia sicut implicat v. g. individuum hominis, cui non competat definitio hominis ut sic, ita implicat species partis, cui non competat definitio partis ut sic, aliàs pars in specie talis & esset pars simpliciter, ut supponitur, & non esset pars simpliciter, quia illi non competeret definitio partis ut sic. Sed pars adæquata esset species partis, cui non competeret definitio partis ut sic, quia pars ut sic ex suo conceptu definitivo est constitutivum rei, ab eadem re distinctum vel realiter inadæquatè, vel per rationẽ ratiocinatã ut patet ex dictis num. 33. Porro pars adæquata rei nec realiter inadæquatè nec per rationẽ ratiocinatã distincta esset ab eadẽ re, si enĩ realiter inadæquatè distingueretur ab illa,

esset constitutivum ipsius inadæquatum physicum; si verò per rationem ratiocinatam distingueretur ab eadem, esset constitutivum ejusdem inadæquatum metaphysicum, ac proinde eo ipso esset pars inadæquata, non adæquata. Ergo implicat pars adæquata. Similis ratio non militat contra constitutivum adæquatum, quia istud est species constitutivi, cui competit definitio constitutivi ut sic, prout est declaratum numero 43. & 44. Hinc ulterius patet disparitas, cur omnia collectivè constitutiva totius sint constitutivum adæquatum totius, omnes tamen collectivè partes totius non sint pars adæquata totius. Nimirum omnibus collectivè constitutivis totius competit definitio constitutivi ut sic, ex declaratis num. 43. & 44. Ergo omnia collectivè constitutiva totius sunt constitutivum totius simpliciter. Ergo sunt constitutivum totius vel adæquatum, vel inadæquatum. Atqui non inadæquatum; quia omnia collectivè constitutiva totius nec realiter inadæquatè, nec per ratione ratiocinatam distinguuntur à toto. Ergo sunt constitutivum adæquatum. E contra omnibus collectivè partibus totius non competit definitio partis ut sic respectu sui totius, ab hoc enim nec realiter inadæquatè, nec per rationem ratiocinatam distinguuntur omnes collectivè partes ipsius. Ergo omnes collectivè partes totius non sunt pars totius simpliciter. Ergo nec sunt pars adæquata totius.

54. Objicitur 2dò ab eodem ibidem. Sicut pars inadæquata & constitutivum inadæquatum sunt Synonyma, ita pars adæquata, & constitutivum adæquatum sunt Synonyma. Ergo si implicat pars adæquata, implicat quoq; constitutivum adæquatum. Respondeo retorquendo argumentum. Sicut pars inadæquata, & essentia inadæquata sunt Synonyma, ita pars adæquata, & essentia adæquata sunt Synonyma. Ergo si implicat pars adæquata, implicat quoque

que

que essentia adæquata. Directè nego assumptum & contentam in illo paritatem, quia quòd constitutivum inadæquatum & pars inadæquata, imò pars simpliciter, sub diversis vocibus idem significent ac proinde sint synonyma, pro hoc stat communior jam Recentiorum sensus, vocum interpres optimus; quidquid sit, quòd plures ex Antiquioribus cum Ruiz de Trinitate Disp. 38. Sect. 1. nomen partis refugerint in Divinis, quibus tamen res & nomen constitutivi passim attribuitur. E contra quòd constitutivum adæquatum, & pars adæquata sub diversis nominibus idem significent, pro hoc non stat communior etiam Recentiorum sensus. Certè Esparza citatus num. 42. pluresque alii supponunt dari constitutivum adæquatum, qui tamen partem adæquatam rejiciunt. Ergo constitutivum adæquatum & pars adæquata non idem significant, consequenter non sunt synonyma, hæc enim sub diversis vocibus idem significant. Addo & adverto hìc diligenter, quòd etiam constitutivum esse, & partem esse, non sint idem omnimodè, latiùs enim patet constitutivum, quàm pars, ac proinde diversitas inter constitutivum & partem est ut inter terminum superiorem, v.g. animal, & inferiorem v.g. hominem &c.

55. Objicitur 3*tiò* ab eodem in Physica num. 30. Implicat causa realis adæquata intrinseca. Ergo & constitutivum adæquatum, quia causa realis adæquata intrinseca, & constitutivum reale adæquatum sunt synonyma. Respondeo retorquendo argumentum. Implicat causa realis adæquata intrinseca. Ergo & essentia adæquata, quia sicut causa inadæquata intrinseca & essentia inadæquata sunt synonyma, ita causa adæquata intrinseca, & essentia adæquata sunt synonyma; eodem (scilicet nullo) fundamento id affirmando de essentia adæquata, quo fundamento idem affirmatur ab Op-

 ponen-

ponente doctiſſimo de conſtitutivo adæquato. Directè nego conſequentiam cum ſua ratione, quia 1*mò* argumentum ſupponit, quòd omne conſtitutivum ſit cauſa intrinſeca conſtituti. Porro hoc falſum eſt. Tum quia ex nullo prædicato definitivo conſtitutivi hoc inferri poteſt, ex quo enim? Certè non poteſt id inferri ex hoc prædicato: *Requiſitum ad eſſe rei*; quia conditio requiritur ad eſſe alicujus rei, v. g. applicatio ignis ad paſſum requiritur ad eſſe uſtionis, nec tamen hæc applicatio eſt cauſa uſtionis ſive extrinſeca ſive intrinſeca. Non poteſt quoque idem inferri ex hoc prædicato: *Requiſitum eſſentiale ad eſſe rei*; quia DEUS eſſentialiter requiritur ad eſſe cujuslibet creaturæ, nec tamen DEUS eſt cauſa intrinſeca cujuslibet creaturæ Denique idem inferri nequit ex hoc prædicato: *Totaliter identificatum rei*; quia Omnipotentia DEI totaliter identificatur DEO PATRI, imò etiam (ut volunt aliæ definitiones conſtitutivi) ſecundùm totam entitatem ſuam, ſecundùm ſe totam, ſe tota, identificatur eidem, nec tamen Omnipotentia DEI eſt cauſa DEI PATRIS, aliàs DEUS PATER eſſet ens cauſatum. Tum quia communiter ab omnibus Theologis admittuntur conſtitutiva DEI, quorum tamen nullum eſt cauſa intrinſeca DEI, cùm nihil ſit cauſa intrinſeca DEI nā fatente ipſo *R.* P. Domaradzki in Phyſica num 28. *Cauſa ut ſic ex communi ſenſu eſt illa, quæ dat eſſe rei creatæ*, vel certè juxta exactiorē definitionē eſt principium potens dare eſſe enti inſufficienti ſibi ad eſſe; jā autē DEUS nec eſt res creata, nec ens inſufficiens ſibi ad eſſe. 2*dò*. Prohibita eſt (& meritò, ex ſubjiciendis proximè) hæc ex Phyſica, tanquam ſingularis, inſubſiſtens & gratis dicta, nec dictanda in Scholis Noſtris propoſitio 29na: *Totum quodvis ex partibus diſtinctis coalitum eſt cauſa intrinſeca adæquata ſuiipſius*. E contra non eſt prohibita hæc propoſitio: *Totum ex partibus diſtinctis coalitum eſt conſtituti-*

vum

vum adæquatum suiipsius. Ergo jam causa realis adæquata intrinseca repugnat ab extrinseco, quomodo non repugnat constitutivum adæquatum. 3*tiò* Causa realis adæquata intrinseca, & esset prior realiter suo effectu, scilicet suo toto, & non esset prior realiter suo effectu. Ergo implicat. 1*ma pars assumpti* deducitur. Omnis causa realis est realiter prior suo effectu, sicut causa per rationem, scilicet pars metaphysica rei creatæ, est prior per rationem suo effectu, nempe suo toto metaphysico, omnis enim causa est prior naturâ, quàm effectus suus, ut patet universali inductione præter petitionem principii. Ergo & causa realis intrinseca adæquata esset prior realiter suo effectu. 2*da pars assumpti* deducitur. Effectus causæ intrinsecæ adæquatæ deberet esse realiter adæquatè identificatus suæ causæ intrinsecæ adæquatæ, sicut effectus causæ intrinsecæ inadæquatæ debet esse inadæquatè identificatus suæ causæ intrinsecæ inadæquatæ. Ergo causa realis adæquata intrinseca non esset prior realiter suo effectu, quia nihil est realiter prius aliquo sibi realiter adæquatè identificato, seu seipso. Similis ratio non militat contra constitutivũ adæquatũ quia ex nullo simili medio deduci potest, quòd constitutivum adæquatum sit vel esset realiter prius suo constituto. Certè non omne constitutivum est realiter prius, quàm suum constitutum, ut patet in constitutivis extra controversiam talibus, scilicet in constitutivis DEI, & in constitutivis metaphysicis cujuscunque rei. 4*tò*. Inter causam realem adæquatam intrinsecam, ac inter effectum ejusdem, & daretur oppositio realis, & non daretur oppositio realis. Ergo implicat causa realis adæquata intrinseca. 1*ma pars assumpti* deducitur. Inter omnem causam realem effectûs saltem quoad imò esse, ac inter effectum datur oppositio realis causantis & causati, sicut inter causam per rationem, ac inter effectum per ra-

tionem, nempe inter partem metaphyſicam rei creatæ, ac inter ſuum totum metaphyſicum datur per rationem oppoſitio cauſantis & cauſati, omnis enim cauſa ac effectus dicunt vel realem vel per rationem oppoſitionem aut producentis & producti, aut quomodocunque cauſantis & cauſati, ut patet univerſali inductione præter petitionem principii. Ergo & inter cauſam realem adæquatam intrinſecam, ac inter effectum ejusdem daretur oppoſitio realis. 2da *pars aſſumpti* deducitur. Effectus cauſæ intrinſecæ adæquatæ deberet eſſe realiter adæquatè identificatus ſuæ cauſæ intrinſecæ adæquatæ, &c. ut ſuprà. Ergo inter cauſam realem adæquatam intrinſecam, ac inter effectum ejusdem non daretur oppoſitio realis, aliàs unum ex identificatis realiter adæquatè, realiter opponeretur alteri ex identificatis realiter adæquatè, ac proinde opponeretur realiter ſibiipſi. Similis ratio non militat contra conſtitutivum adæquatum, quia ex nullo ſimili medio deduci poteſt, quòd inter conſtitutivum adæquatum ac inter conſtitutum detur vel daretur oppoſitio realis. Certè non inter omne conſtitutivum ac conſtitutum datur realis oppoſitio cauſantis & cauſati. ut patet tum in conſtitutivis DEI, tum in conſtitutivis metaphyſicis cujuscunque rei. 3tò. Gratis dicitur, quòd cauſa realis adæquata intrinſeca, & conſtitutivum reale adæquatum ſint ſynonyma, non enim illa ſignificant idem ſub diverſis vocibus, quia etiam cauſa realis inadæquata intrinſeca & conſtitutivum inadæquatum non ſignificant idem ſub diverſis vocibus, ſiquidem ex declaratis ſuperiùs non omne conſtitutivum rei etiam inadæquatum eſt cauſa realis inadæquata intrinſeca ejusdem rei.

56. Objicitur 4tò ab eodem ibidem. Conſtitutivum adæquatum & eſſet conſtitutivum adæquatum, & non eſſet conſtitutivum adæquatum. Ergo

implicat.

implicat. 1*ma pars assumpti* supponitur, 2*da* probatur. Constitutivum adæquatum se solo non statueret totum, sed cum alio, nam ex ipsa voce *constitutivum* est id, quod cum alio statuit rem, sicut *concausa* est illa, quæ cum alia dat esse rei; *compars* est illa, quæ cum alia componit totum &c. Ergo &c. Respendeo retorquendo argumentum. Connotatum strictè tale ex ipsa voce est id, quod notatur seu significatur simul cum alio. Ergo nullum est, imò implicat connotatum adæquatum, seu in re aggregatum omnium strictè talium connotatorum alicujus rei. Porro id admitti nequit ab Opponente doctissimo, quia sicut datur aggregatum omnium constitutivorum alicujus rei, ita juxta illum datur aggregatum omnium strictè talium connotatorum alicujus rei; quod certè debet esse connotatum rei strictè tale, utpote requisitum essentiale rei, non constitutivum ejusdem rei, quo solo ablato perit res. Ergo prædictum aggregatum debet esse connotatum rei vel adæquatū vel inadæquatū. Atqui aggregatum prædictum non est connotatū rei inadæquatum, quia connotatum rei inadæquatum est in re connotatum aliquod ex illis connotatis, quæ componunt collectionem omnium connotatorum rei, sicut constitutivum rei inadæquatum est in re aliquod constitutivum componens collectionem omnium constitutivorum rei. Ergo aggregatum omnium strictè talium connotatorum alicujus rei est connotatum rei adæquatum. Unde pro sententia Nostra etiam sic argui potest ad hominem. Datur connotatum rei adæquatum, strictè, non latiùs tale. Ergo etiam datur constitutivum rei adæquatum, strictè, non latiùs tale. Directè nego 2dam Antecedentis partem. Ejus probationi nego assumptum, quòd scilicet constitutivum adæquatum non se solo statuat rem in suo esse, cum quo enim alio in se non incluso illam statuit? Nego deniq;

universaliter ex vi vocis constitutivum esse id, quod cum alio statuit rem, quia juxta S. Paulum ad Hebræos 1. DEUS CHRISTUM *constituit hæredem universorum*, quamvis nec cum alio DEO, nec cum alio ente creato illum statuerit hæredem universi. Cæsar quoque dicitur constituere Vice-Regem v. g. Neapolitanum, quamvis id faciat ipse solus &c. Sic etiam paries dicitur concidere, quamvis non cadat cum pariete alio; homo dicitur consternari timore, quamvis non sternatur timore cum alio; pænitens dicitur confiteri delictum, quamvis non fateatur illud cum alio; offensus dicitur condonare culpam, quamvis non donet illam cum alio; Supremus Iudex dicitur condemnare accusatum, quamvis non damnet illum cum alio; homo homini dicitur conferre gratiam, quamvis non exhibeat illam cum alio; præco dicitur convocare populum, quamvis non vocet illum cum alio &c.

57. Objici potest 5tò. Implicat constitutum constans constitutivo adæquato. Ergo implicat constitutivum adæquatum. Probatur Antecedens. Constitutum constans constitutivo adæquato & esset majus suo constitutivo, & non esset majus suo constitutivo. Esset majus suo constitutivo; quia omnè constitutum est majus suo constitutivo, sicut omnè totum est majus sua parte. Non esset quoque majus suo constitutivo; quia implicat, ut aliquid sit majus eo, quod sibi adæquatè identificatum, se constituit adæquatè. Respondeo. Argumentum probat, quòd implicet constitutum constans constitutivo sibi adæquatè identificato, hoc enim & esset majus suo constitutivo prædicto, cùm omne constitutum sit majus suo constitutivo, & non esset majus eodem, cùm implicet ut aliquid sit majus eo, quod sibi adæquatè identificatur. Ergo probat, quòd implicet homo, juxta omnes constitutus suo prædicato differentiali, nempe rationali; implicet Pater æter-

nus con-

nus constitutus Paternitate &c. *Directè*. Nego assumptum. Ejus probationi nego 1mam partem Antecedentis cum sua ratione, quia juxta S. Augustinum. l. 7. de Trinitate c. 8. *Non major est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul, quàm solus Pater.* Ergo SS. TRINITAS, quæ etiam Patre æterno constituitur, non est quid simpliciter majus æterno Patre. Ergo non omne constitutum est majus suo constitutivo. Potest quoque idem sic distingui. Omne constitutum est majus suo constitutivo inadæquato, transeat ex prædictis. Omne constitutum est majus suo constitutivo adæquato, nego. Ergo constitutum constans constitutivo adæquato esset majus suo constitutivo inadæquato, transeat. Ergo constitutum constans constitutivo adæquato esset majus suo constitutivo adæquato, nego. Ulteriùs ex advertendis proximè transeat, quòd omne totũ sit majus sua parte. Quid tum? Ergo & omne constitutum est majus suo constitutivo inadæquato, transeat; suo constitutivo adæquato, nego.

58. Adverto, quod etiam hoc principium: *Omne totum est majus sua parte*, ut sit verum simpliciter, & absolutè, egeat limitatione, his ex instantiis. 1*mò*. Totum hoc, quod est Trinitas Divinissima, simpliciter, & illimitatè non est majus Patre æterno, ut expressè docet S. Augustinus, qui solvendo ex professo argumenta Arianorum & infidelium, ad illam objectionem, quòd totum sit majus sua parte, l. 6. de Trinit. c. 6. & 10. dicit: *In rebus corporeis ita esse, non in illa summa Trinitate*, repetitq; idem l. 7. c. 8. dicens: *In his rebus* (scilicet creatis) *non tantum est unus homo, quantum tres homines simul; at in DEO non ita est, non enim major est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius.* Certè si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul, esset major quàm solus Pater, aut solus Filius, tunc in Divinis aliquid esset

majus, & aliquid minus, scilicet omnes collectivè Personæ Divinæ essent aliquid majus singulis Personis, & singulæ Personæ Divinæ essent aliquid minus omnibus collectivè Personis. Sed in Divinis nihil est majus, nihil minus, ut profitetur Ecclesia universalis in Symbolo S. Athanasii dicens: *In hac Trinitate nihil majus aut minus*. Ergo &c. 2dò. Totum non debet esse majus extensione quoad locum, quàm sua pars. Tum quia totum Eucharisticum in terris, & totum hypostaticum in cælis, minus localis spatii occupat, quàm Persona Verbi. Tum quia homo non plus localis spatii implet, quàm ipsius anima rationalis, quæ penetratur cum corpore hominis. Tum quia omnes partes etiam integrales alicujus totius integralis possunt divinitus penetrari secum, sicut de facto miraculosè in Eucharistia penetrantur secum omnes partes corporis Christi; quo casu non plus spatii localis occupabit totum, quàm pars totius. 3tiò. Totum non debet esse majus extensione quoad tempus, quàm sua pars. Tum quia SS. Trinitas non est quid majus extensione quoad tempus, quam aliqua ejusdem Trinitatis Persona. Tum quia totum Eucharisticum in terris & totum hypostaticum in cælis certè non est majus extensione quoad tempus, quàm Persona Verbi. Tum quia potest anima rationalis creata ante mille annos uniri corpori producto hodie, & identificari inadæquatè toti ex corpore & anima rationali unitis sibi hodie resultanti; quo certè casu hoc totum non esset majus extensione quoad tempus, quàm sua anima rationalis. 4tò. Totum non debet esse majus perfectione, quàm sua pars. Tum quia SS. Trinitas non est quid perfectione majus, quàm 1ma v. g. Persona SS. Trinitatis, quia 1ma Persona SS. Trinitatis est ens summè perfectum, quali ente non potest esse quidquam perfectius. Tum quia totum hypostaticum compositum ex Humani-

tate

tate & Verbo non est majus perfectione quàm Verbum, cùm in terminis implicet, ut totum contingens & defectibile in essendo (quale totum est hypostaticum, seu Christus) sit perfectius quàm ens summè perfectum, quale est Verbum. Idem dic de toto morali aggregato v. g. ex Petro & DEO. Tum quia binarius ex homine & hircocervo non est quid perfectius, quàm homo &c. 5tò. Totum potestativum saltem aliquod non est majus sua parte, quia hoc prædicatum DEI genericum: *Ens reale positivum*, est totum potestativum respectu DEI, cùm universaliter juxta Dialecticos omne prædicatum commune & superius sit totum potestativum respectu suarum specierum vel individuorum sub illo prædicato superiore contentorum, consequenter DEUS est pars ejusdem prædicati, ac proinde totius; nec tamen hoc prædicatum DEI genericum: *Ens reale positivum*, est majus DEO, siquidem repugnat aliquid esse majus ente maximo in omni genere. 6tò. Totum saltem aliquod, etiam numero constitutivorum probabiliùs non est majus sua parte metaphysica. Tum quia aliqua pars metaphysica quoad numerum constitutivorum est æqualis suo toti, seu totidem & eadem dicit constitutiva, quot & quæ constitutiva dicit suum totum, nam Essentia seu Natura D E I Theologicè sumpta est pars metaphysica SS. Trinitatis, sicut essentia seu natura hominis est pars metaphysica hujus concreti: *Homo*; & tamen quidquid constituit SS. Trinitatem, idem quoque constituit prædictam Essentiam juxta probabiliorem etiam Connotatistarum ex insinuatis num. 19. cùm R. P. Gzowski sententiam docentem, quòd Essentia DEI Theologicè sumpta realiter constituatur prædicatis Divinis etiam relativis, potestque id probari facilè ex definitione constitutivi. Tum quia aliqua pars metaphysica quoad numerum constitutivorum est major suo toto, seu

plura dicit constitutiva quàm suum totum, quia eadem Essentia DEI Theologicè sumpta est pars metaphysica v. g. DEI Patris, qui certè constitutus prædicatis Divinis absolutis necessariis, & Paternitate, non constituitur Filiatione ac Spiratione passiva, prædicta verò Essentia juxta memoratam immediatè suprà sententiam constituitur & prædicatis Divinis absolutis necessáriis, & Paternitate, & Filiatione, & spiratione passiva. 7mò. Totum non est majus sua parte etiam physica, sumpta simul cum aliis physicis essentialibus partibus ejusdem totius, v. g. totum compositum humanum non est majus anima rationali sumpta simul cum corpore & unione defacto existentibus, aggregatum ex tribus unitatibus non est majus unitate A. sumpta simul cum unitate B. & C. &c. Quare dicti principii sensus ultimò resolutoriè est iste: *Omne totum numero constitutivorum est majus qualibet sua parte physica sumpta præcisè secundùm suam ipsius entitatem.*

59. Objici potest 6tò. Constitutivum adæquatum & esset requisitum essentiale ad esse constituti, & non esset requisitum essentiale ad esse constituti. Ergo implicat. Esset requisitum essentiale ad esse constituti; quia omne constitutivum Antonomasticè tale ex suo genere est requisitum essentiale ad esse rei. Non esset quoque requisitum essentiale ad esse constituti; quia nullum ens est requisitum essentiale ad id, quod sibi identificatur adæquatè, seu ad seipsum, nam omne requisitum est, sine quo ab connexionem cum illo res non potest esse, nihil autem verè connectitur secum ipso. Respondeo. Argumentum probat, quòd implicet constitutivum rei adæquatè identificatum rei. Directè. Nego assumptum quoad 2dam partem. Ejus probationi nego iterum assumptum. Tum quia prædicatum differentiale v. g. hominis, scilicet rationale, est constitutivum hominis, ut ex consensu omnium Dia-

lectico-

lecticorum declaratum est suprà num. 35. consequenter est requisitum essentiale ad esse hominis, ac proinde ad id, quod sibi identificatur realiter adæquatè. quia sicut prædicatum differentiale hominis realiter adæquatè identificatur homini, ita & homo realiter adæquatè identificatur prædicato differentiali hominis, identitas enim adæquata est mutua. Tum quia Essentia DEI Theologicè sumpta juxta communem sensum constituit v. g. DEUM PATREM, consequenter requiritur essentialiter ad esse DEI PATRIS, ac proinde ad id, quod sibi identificatur realiter adæquatè, quia DEUS PATER juxta fidem realiter adæquatè identificatur Essentiæ DEI Theologicè sumptæ &c. Ulteriori in contra rationi nego, quòd nihil verè connectatur secum ipso, quia v. g. homo ex se ab intrinseco non potest esse sine seipso: Ergo verè connectitur secum ipsò, nam juxta insinuata num. 48. connexio ut sic est impotentia entis, adæquatè identificata enti, vi cujus ens non potest sine aliquo. *Sine aliquò* inquam, non verò sine alio realiter; quia connexio neque debet esse impotentia unius entis ad esse sine alio realiter adæquatè, aliàs Pater æternus non connecteretur cum Filio, neque debet esse impotentia unius entis ad esse sine alio realiter inadæquatè, aliàs v. g. animal rationale non connecteretur cum homine, consequenter juxta insinuata num. 47 nulla esset hæc consequentia: *Petrus est animal rationale. Ergo Petrus est homo*, siquidem juxta Dialecticam ad rectam illationem Consequentis ex Antecedente requiritur connexio Antecedentis cum Consequente. Possunt quoque claritatis gratiâ eædem propositiones ultimæ sic distingui. Omne requisitum est, sine quo ob physicam vel Logicam connexionem cum illo res non potest esse, concedo. Omne requisitum est, sine quo ob physicam omnino connexionem cum illo res

esse

esse non potest, nego, quia aliàs nec Essentia DEI Theologicè sumpta, ad esse DEI PATRIS, nec prædicatum differentiale hominis requireretur ad esse hominis, ac proinde nec illa DEUM PATREM, nec istud constitueret hominem, quod est contra communem Doctorum sensum, & contra declarata superiùs. Nihil verè physicè connectitur secum ipso, concedo. Nihil verè Logicè connectitur secum ipso nego. Porro connexio physica (quatenus contradistincta connexioni non metaphysicæ, sed Logicæ) est impotentia entis adæquatè identificata eidem enti, vi cujus ens non potest esse sine aliquo à se distincto realiter, jam verò connexio Logica est impotentia entis, adæquatè identificata eidem enti, vi cujus aliquod ens non potest esse sine aliquo à se indistincto realiter. Quòd detur connexio physica, prout contradistincta Logicæ, certum est omnibus, talis enim connexio est creaturæ cum DEO, modi cum modificato &c. Quod etiam detur connexio Logica, certum mihi est ex hac v. g. instantia, quòd animal rationale connectatur cum homine, ut declaratum superiùs.

60. Objici potest 7mò. triplex paritas. 1mò. Nullum ens est conditio, sine qua non, ad seipsum. Ergo etiam nullum ens est requisitum essentiale ad seipsum. 2dò. Nihil potest esse simile sibiipsi. Ergo nec potest esse requisitum essentiale ad seipsum. 3tiò. Nihil potest esse requisitum morale aut physicum ad seipsum. Ergo etiam non potest esse requisitum metaphysicum, seu essentiale ad seipsum. Respondeo. Omnes prædictæ paritates multum probant, sic enim inverto singulas. Omnis conditio, sine qua non, realiter adæquatè distinguitur ab illo, cujus est conditio. Ergo etiam omne requisitum essentiale ad esse rei, realiter adæquatè distinguitur à re; quod juxta omnes est falsum, aliàs constitutivum intrinsecum etiam inadæquatum, utpote es-

sentiale

sentiale requisitum ad esse rei constitutæ, realiter adæquatè distingueretur ab eadem re. Item. Quodvis ex similibus in natura ens saltem creatum, realiter adæquatè distinguitur ab altero ex similibus in natura. Ergo etiam quodvis requisitum essentiale ad esse rei, realiter adæquatè distinguitur à re. Item. Omne morale aut physicum requisitum ad esse rei, realiter adæquatè distinguitur ab illa re, cujus est requisitum. Ergo etiam omne requisitum metaphysicum, seu essentiale, ad esse rei, realiter adæquatè distinguitur ab illa re, cujus est requisitum. Directè. 1*mæ paritati* concesso Antecedente nego consequentiam. Disparitas est, quia omnis conditio, sine qua non, tenet se ex parte actus 1mi proximi ad id, respectu cujus est conditio, ut patet inductione. Ergo omnis præfata conditio est realiter prior prioritate naturæ respectu sui termini, quia universaliter quidquid se tenet ex parte actûs 1mi proximi ad aliquid, illud est realiter priùs prioritate naturæ respectu ejusdem alicujus. Ergo omnis prædicta conditio essentialiter requiritur ad aliud à se realiter. Ergo denique nullum ens potest esse conditio, sine qua non, ad seipsum. Similis ratio non est pro requisito essentiali; falsum enim est, quòd requisitum essentiale ad aliquid, sit essentialiter requisitum ad aliud à se realiter, atque sit realiter prius prioritate naturæ respectu ejus, ad quod requiritur, ut patet in prædicato differentiali hominis, & in Essentia DEI Theologicè sumpta &c. 2*dæ paritati* nego consequentiam. Disparitas est, quia similia sunt, quorum una specie est natura, vel qualitas accidentalis. Ergo inter similia debet esse unitas solùm specifica. Ergo inter similia non potest esse identitas numerica. Ergo denique nihil potest esse simile sibiipsi. E contra inter ens essentialiter requirens aliquid, & inter ens essentialiter requisitum, potest esse identitas numerica, non solùm

lùm inadæquata, ut est extra dubium, sed etiam adæquata, ut patet in homine & differentiali illius prædicato, in Patre æterno & Essentia DEI Theologicè sumpta &c. Ergo potest esse aliquid essentialiter requisitum ad seipsum. 3tiæ paritati nego consequentiam. Disparitas est, quia res potest esse sine requisito morali naturaliter, sine requisito physico divinitus. Ergo morale & physicum requisitum ad esse rei debet esse realiter distinctum ab illa re, cujus est requisitum. Ergo denique nihil potest esse requisitum morale aut physicum ad seipsum. E contra metaphysicum seu essentiale requisitum ad esse rei potest realiter adæquatè identificari rei, ut palam est ex instantiis immediatè suprà insinuatis. Ergo potest aliquid esse requisitum essentiale ad seipsum.

§. 3tius.

Quodnam sit indicium Constitutivi Antonomasticè talis?

61. Resolutioni quæstionis præmitto 1mò. quòd universalissimum (de quali hic controvertitur) indicium aut signum constitutivi Antonomasticè talis ultimò resolutoriè sit complexum seu aggregatum terminorum, non quidem definitivum constitutivi præfati, (aliàs indicium rei non differret ad essentia rei) aliunde tamen notius Nobis, ex quo colligi & legitimè inferri potest, quòd aliquid sit Antonomasticum constitutivum rei.

62. Præmitto 2dò, quòd plures Connotatistis Oppositi pro indicio constitutivi ponant hoc aggregatum terminorum: *Quo per possibile vel impossibile*

bile solo ablato tollitur res; ac proinde tanquam universaliter veram defendunt hanc propositionem: *Quo per possibile vel impossibile solo ablato tollitur res, illud est constitutivum rei.* Hoc indicium non soli competit constitutivo, ut patet ex declaratis num. 2. Ergo non est rectum. Idem tamen complexum terminorum est verissimum hujus indicium, quòd aliquid identificetur alicui, ut colligetur ex dicendis §. 6to num. 186.

63. Præmitto 3*tiò*, quòd Connotatistæ Nostri non omnino uniformiter statuant ac explicent indicium constitutivi, ut patebit ex allegandis partim hìc proximè, partim numero sequente. His tamen eorundem inconvenientiis demptis, indicium constitutivi juxta illos quoad substantiam comprehenditur ista propositione: *Constitutivum est requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei.* Demonstratur id hac inductione. 1*mò*. R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 3. *Ad dignoscendum*, inquit, *quodnam in particulari essentiale requisitum alicujus rei sit constitutivum ejusdem, tenendum est universaliter, quòd omne illud requisitum essentiale alicujus rei sit constitutivum ejusdem, quod in explicatione ejusdem rei importatur in recto.* Simillimè R. P. Domaradzki in Logica num. 574. *Signum*, inquit, *discretivum constitutivi à connotato est hoc: Constitutivum denominationis est requisitum essentiale, quod importatur in recto ejusdem denominationis.* Et in Compendio Connotatorum num. 22. *Signum*, inquit, *constitutivi est hoc, quòd constitutivum denominationis sit requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei.* 2*dò*. R. P. Radominski in Logica num. 547. *Signum*, inquit, *universalissimum, discretivum constitutivi à non constitutivo est: Constitutivum denominationis aut rei alicujus est illud requisitum essentiale ipsius, quod in eadem denominatione aut recta explicatione ejusdem*

rei im-

rei importatur in recto sive extra propositionem, sive in propositione vera affirmativa non disjunctiva. Hæc descriptio datum à R. P. Gzowski indicium tanquam defectuosum complet per ly: *In recta explicatione*, & per ly: *Sive extra propositionem sive in propositione vera affirmativa non disjunctiva*; ac (ut obiter advertam) mirum est, quomodo aliquid possit importari in recto Connotatistico extra propositionem? Certè non potest quidquam esse verè affirmabile de ulla re per casum nominativum, nisi in propositione. Ergo nec potest quidquam importari in recto Connotatistico ullius rei, nisi in propositione; quia juxta Connotatistas rectum rei est illud, quod est verè affirmabile de eadem re per casum nominativum in aliqua propositione saltem non disjunctiva. 3tiò. R. P. Kobielski in Physica num. 58, *Constitutivum*, inquit, *rei vel denominationis est requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei vel denominationis rectè explicatæ*; quæ juxta illum propositio ex insinuatis num. 14. est optima saltem circumscriptio, ac proinde indicium constitutivi. Hæc quoque descriptio, propositum à R. P. Gzowski indicium tanquam non omnibus terminis absolutum complet per adjectos in fine terminos. 4tò. R. P. Popiel in Logica num. 546. *Constitutivum*, inquit, *est essentiale requisitum in omni suppositione ad esse rei, importabile in recto in explicatione recta ejusdem rei.* Etiam hæc descriptio addit ly: *In recta explicatione*, quo datum à R. P. Gzowski tanquam incompletum complet indicium. Addit præterea ly: *In omni suppositione*; nec jam placet illi ly: *Importatum*. sed potiùs ly: *Importabile in recto*; per quæ ille traditum ab aliis indicium constitutivi quasi non satis munitum putat reddi munitius. Cæterùm cùm importatum in recto, à Connotatistis Nostris communiùs explicetur non per affirmatum actu, sed per affirmabile verè de

aliqua

aliqua re, videtur non plus roboris addi Connotatistico indicio per ly: *Importabile*, quàm per ly: *Importatum*, &c. 5*tò*. R. P. Tuchołka in Logica num. 170. *Signum* inquit, *seu indicium discretivum Constitutivi à connotato est, quòd constitutivum denominationis aut rei alicujus, sit requisitum essentiale illius, in eadem denominatione aut recta rei explicatione importatum vel saltem importabile in recto Philosophico.* Hæc quoque descriptio addit ly: *in recta explicatione*, & constitutivum circumscribit indeterminatè per importatum vel importabile in recto, eoque (ut præ cæteris adjicitur) Philosophico. 6*tò*. Hactenus Connotatistæ Doctissimi tanquam Patroni suæ sententiæ; sequitur decretorium judicium R. P. Francisci Koczorowski in Philosophia Calissiensi Anticonnotatistæ (ut fatetur ipsemet ille in suis Sacramentis num 434) in Theologia Posnaniensi Anticonstitutivistæ. *Indubitatum* inquit *est, quod omne id, quidquid in recta explicatione rei importatur in recto sit constitutivum ejusdem rei.* Ita ille in Tractatu de Sacramentis num. 425

64 Præmitto 4*tò* quòd Anticonstitutivistæ Nostri (habeant etiam tale nomen, quale nobis imponunt, dum passim ab iisdem vocamur & scribimur Anticonnotatistæ) ita explicent terminos præfati indicii. 1*mò*. Recta explicatio rei est vera de eadem re propositio juxta illud monitum R. P. Kobielski: *Per rectam explicationem intellige veram de eadem re propositionem.* Ita ille in Physica num. 58. 2*dò*. Iuxta R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 4. *Illud importatur Philosophicè in recto in aliqua denominatione, quod in eadem denominatione ponitur in casu nominativo sive extra propositionem, sive in propositione vera penes ipsam copulam principalem.* Huic explicationi subscripsit ex integro R. P. Radominski in Logica num. 547. 3*tiò* Iuxta R. P. Domaradzki in Logi-

ca num. 576. *rectum denominationis Philosophicè tale est requisitum essentiale (altem latiùs tale denominationis in aliqua propositione affirmabile per casum rectum de eadem re*; jam verò in Compendio Connotatorum num. 20. *illud*, inquit, *importatur Philosophicè in recto alicujus rei, quod saltem cum alio est verè affirmabile per casum rectum de eadem re.* Huic explicationi 2dæ subscripsit R. P. Kobielski in Physica num. 12. ibidemque docet, quòd ly: *Saltem*, æquivaleat particulæ disjunctivæ, ita ut data descriptio recti æquivaleat huic propositioni: *Rectum objectivum est objectum, quod vel se solo, vel cum alio (similiter in recto importato) est affirmabile verè de eadem re vel denominatione per casum rectum, puta nominativum.* Iam in ly: *Cum alio est affirmabile*, sicut & in ly: *Petrus cum Paulo est in templo*, particula: *Cum*, juxta eundem R. P. Kobielski in Physica num. 63. denotat idem, quod particula copulativa: *Et.* Similiter docet R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 40. 4tò Iuxta R. P. Popiel in Logica num. 509. *illud importatur in recto Philosophicè in aliqua denominatione, quod in eadem denominatione ponitur in casu nominativo penes copulam principalem*; quasi verò sicut propositio formalis, ita & objectiva (de qua in præsenti est controversia) denominatio, constaret copula habente aliquid sibi appositum in casu nominativo. 5tò. Iuxta R. P. Tuchołka in Logica num. 169. *rectum objectivum est ipsum objectum expressum vel exprimibile per casum rectum, seu nominativum; obliquum verò objectivum est objectum expressum vel exprimibile per casum obliquum, seu genitivum, vel dativum, vel alium.* Rursus juxta eundem ibidem *importari in recto in aliqua denominatione aut in recta rei explicatione est, esse affirmabile verè per casum rectum de eadem denominatione vel re; importari verò in obliquo est esse affirmabile per*

casum obliquum. Præterea juxta eundem ibidem *dupliciter potest aliquid importari in recto vel Philosophicè, vel Grammaticaliter. Illud importatur in recto Philosophicè, quod ita in aliqua denominatione vel recta explicatione rei ponitur in recto, ut ejus identitas sit verè affirmabilis aut negabilis per casum rectum cum omni illo prædicato, cum quo est affirmabilis aut negabilis identitas ejusdem denominationis vel rei. Illud autem importatur in recto purè Grammaticaliter, quod etsi in aliqua denominatione vel recta rei explicatione ponitur in recto, non est tamen affirmabilis aut negabilis identitas illius per casum rectum cum prædicatis illis, cum quibus est affirmabilis aut negabilis identitas denominationis, aut rei. Sic in hac explicatione hominis: Anima & corpus sibi unita, anima & corpus importantur in recto Philosophico, quia ita ponuntur in casu recto, ut eorum identitas sit affirmabilis aut negabilis per casum rectum cum omni illo prædicato, cum quo est affirmabilis aut negabilis identitas hominis, quidquid enim est affirmabile aut negabile de homine, idem est affirmabile aut negabile de anima & corpore unitis secum in recto importatis. Et sic sicut verum est dicere quòd homo sit animal rationale, sit risibile &c. ita quoque verum est dicere, quòd anima rationalis & corpus unita secum sint animal rationale, sint risivum &c. E contra in hac denominatione: Petrus à quo habetur equus, ly: Equus nisi Grammaticaliter venit in recto, etsi enim in hac denominatione ponitur in casu recto, ita tamen ponitur, ut ejus identitas non sit affirmabilis aut negabilis per casum rectum cum illis prædicatis, cum quibus est affirmabilis aut negabilis identitas dictæ denominationis, licèt enim verum est dicere, quòd Petrus, à quo habetur equus, sit animal rationale, falsum tamen, quòd Petrus & equus & ejus habitio sint animal rationale.* Ex hac declaratione rectorum per exempla, colligo, & sic con-

formiter ad mentem Professoris Doctissimi, fortè tamen clariùs eadem recta explico his terminis, quos exemplificatio doctrinæ subministrat. Illud importatur in recto Philosophico, quod in recta explicatione alicujus denominationis ita ponitur in casu nominativo, ut quidquid de illo est verè affirmabile aut negabile per casum nominativum, id omne sit verè affirmabile aut negabile de eadem ipsa denominatione per casum nominativum. E contra illud importatur in recto purè Grammaticali, quod licèt in recta explicatione alicujus denominationis ponitur in casu nominativo, non omne tamen verè affirmabile aut negabile de illo per casum nominativum, est verè affirmabile aut negabile de eadem ipsa denominatione per casum nominativum. Hanc ego doctrinam Emeritissimi Professoris, fusiùs proponendam exponendàq; censui, utpote & hîc, & alibi in materia Connotatistica, revera exactiorem præ cæteris.

65. Præmitto denique, quòd juxta omnes Anticonstitutivistas Nostros ad veram prædicationem requiratur identitas adæquata inter rectum Subjecti & rectum prædicati, secundùm illud, inquiunt, principium universalissimum ab omnibus receptum tanquam certum: *Rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti in omni propositione vera affirmativa non disjunctiva.* Sic 1mò. R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali numero 4. *Universalissimum*, inquit, *est principium, ab omnibusque tanquam certum admittitur, quòd in omni propositione vera affirmativa non disiunctiva rectum prædicati debeat adæquatè identificari cum recto subjecti.* 2dò. R. P. Radominski in Logica num. 560. *Rectum*, inquit, *prædicati objectivi debet adæquatè identificari recto subjecti objectivi*; atque hanc propositionem num. 571. vocat ille 1mum principium. 3tiò. R. P. Domaradzki tam in Compendio Con-

notato-

notatorum num. 31. alibique passim, quàm in Logica num. 579. 580. *Ad veram*, inquit, *prædicationem requiritur adæquata realis identitas recti subjecti cum recto prædicati.* 4tò. R. P. Koczorowski in Tractatu de Sacramentis num. 437. *Indubitatum*, inquit, *est apud omnes Philosophos & Theologos, quod ad propositionem veram affirmativam non disjunctivam requiratur identitas adæquata inter subjectum & prædicatum.* 5tò. R. P. Popiel in Logica num. 554. *In omni*, inquit, *propositione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati debet adæquatè identificaficari recto subjecti.* 6tò. R. P. Kobielski in Physica num. 76. *In omni*, inquit, *propositione vera affirmativa non disjunctiva requiritur identitas adæquata recti prædicati cum recto subjecti.* 7mò. R. P. Tuchołka in Logica non procul ab initio numeri 171. *Iuxta principium*, inquit, *ab omnibus receptum in omni propositione affirmativa vera determinata seu non disjunctiva rectum prædicati identificatur realiter adæquatè recto subjecti.* Et numero 172. in confirmatione 3tia. *Ad omnem*, inquit, *propositionem veram affirmativam non disjunctivam requiritur identitas adæquata recti prædicati cum recto subjecti;* atque hanc propositionem etiam num. 169. sub ly: *Præsciendum 3tiò* vocat *principium ab omnibus Philosophis receptum.* His præmissis sit

SECTIO ima.

Rejicitur Connotatisticum indicium constitutivi.

66. DIco, Connotatisticum indicium constitutivi propositum num. 63. & expositum num. 64. non est rectum; quia

nec omni, nec soli competit constitutivo, ut per partes declaro. Probatur imò 1ma pars assumpti. Hoc constitutivi indicium: *Requisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei*, non competit essentialibus partibus physicis totius physici distributivè sumptis ut talibus. Ergo non omni competit constitutivo. Consequentia patet, quia essentiales partes physicæ totius physici distributivè sumptæ ut tales constituunt totum physicum tanquam constitutiva ipsius inadæquata, ut certum est omnibus. Antecedens probatur. Essentiales partes physicæ v. g. hominis distributivè sumptæ ut tales non importantur, nec sunt importabiles in recto hujus denominationis: *Homo adæquatè acceptus*. Et sic de aliis cujuscunque totius physici partibus essentialibus physicis distributivè sumptis ut talibus. Ergo &c. Probatur Antecedens. Anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales, non importantur in recto hujus denominationis: *Homo adæquatè acceptus*. Ergo essentiales partes physicæ hominis distributivè sumptæ ut tales non importantur in recto denominationis prædictæ. Consequentia patet, quia anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali sunt essentiales partes physicæ hominis. Antecedens probatur. Anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales, non sunt verè affirmabiles per casum rectum de hac denominatione: *Homo adæquatè acceptus*. Ergo non importantur in recto denominationis prædictæ. Consequentia negari non potest à Connotatistis, quia juxta illos passim ex allegatis num. 64. importari in recto alicujus denominationis aut rei est esse affirmabile verè per casum rectum de eadem denominatione aut re. Antecedens probatur. Falsa est

hæc

hæc ex parte prædicati distributiva ut talis propositio: *Homo adæquatè acceptus est anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali.* Ergo anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis, unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales, non sunt verè affirmabiles per casũ rectum de hac denominatione: *Homo adæquatè acceptus* Probatur Antecedens. Vera est hæc propositio: *Homo adæquatè acceptus nec est anima rationalis unita materiæ hominis, nec est materia hominis unita animæ rationali.* Ergo falsa est hæc ex parte prædicati distributiva, ut talis propositio: *Homo adæquatè acceptus est anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali.* Consequentia liquet, quia aliàs veræ essent ambæ propositiones contrariæ, quod est contra omniũ Dialecticorũ sensum. Antecedens probatur. Prædictæ propositionis copulativæ utraq; pars copulata est vera. Ergo & tota illa propositio est vera. Consequentia iterum liquet, quia universaliter juxta Dialecticã quando utraq; propositio copulata contenta in propositione duarũ partium copulativa est vera, tunc & tota propositio copulativa est vera, non enim plus requiritur ad veritatem propositionis copulativæ, nisi ut singulæ partes illius sint veræ. Antecedens probo, quia imprimis vera est hæc propositio: *Homo adæquatè acceptus non est anima rationalis unita materiæ hominis*, ut demonstratur sequentibus syllogismis in Camestres. *Anima rationalis unita materiæ hominis est pars hominis adæquatè accepti*, ut certum est omnibus. *Sed homo adæquatè acceptus non est pars hominis adæquatè accepti*, seu suiipsius, utpote indistinctus à seipso tam realiter inadæquatè, quàm per rationem ratiocinatam. *Ergo homo adæquatè acceptus non est anima rationalis unita materiæ hominis. Anima rationalis unita materiæ hominis est purè spiritualis*, ut certum est maximè in sententia Connotatistica. *Sed*

homo adæquatè acceptus non est purè spiritualis. Ergo homo adæquatè acceptus non est anima rationalis unita materiæ hominis. Vera quoque est hæc propositio: *Homo adæquatè acceptus non est materia hominis unita animæ rationali*, ut demonstratur syllogismis similibus. *Materia hominis unita animæ rationali est pars hominis adæquatè accepti. Sed homo adæquate acceptus non est pars hominis adæquate accepti. Ergo homo adæquatè acceptus non est materia hominis unita animæ rationali. Materia hominis unita animæ rationali est ens purè materiale. Sed homo adæquate acceptus non est ens pure materiale. Ergo homo adæquatè acceptus non est materia hominis unita animæ rationali.*

67. Dices quòd anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales de hac denominatione: *Homo adæquatè acceptus*, non sint equidem verè affirmabiles simpliciter sine ullo addito, sunt tamen affirmabiles saltem cum hoc addito: *Inadæquatè, vel partialiter.* Ita R. P. Tuchołka in Logica num. 171. sub ly: *Probatur 2do* dicens: *Quia homo identificatur solùm inadæquatè animæ, etsi non possit unum de altero simpliciter affirmari, potest tamen saltem partialiter & inadæquatè; vera namque est affirmatio: Homo est partialiter anima &c.* Contra est 1mò. Vera est hæc propositio: *Homo inadæquate est anima.* Ergo vera est & hæc affirmativa non disjunctiva propositio: *Hic homo, inadæquatè est hæc in individuo anima.* Ergo ruit hoc Connotatisticum etiam ipsius respondentis Doctissimi principium: *In omni propositione affirmativa vera non disjunctiva rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti*, quia in hac affirmativa vera non disjunctiva propositione: *Hic homo inadæquatè est hæc in individuo anima*, rectum prædicati, scilicet entitas hujus in individuo animæ,

realiter

realiter inadæquatè identificatur recto subjecti, scilicet entitati hominis, aliàs falsa esset hæc propositio: *Hic homo, inadæquatè est hæc in individuo anima*, seu (quod idem est) inadæquatè identificatur huic in individuo animæ. 2*dò*. Anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, de hac denominatione: *Homo adæquatè acceptus*, sunt verè affirmabiles solùm cum hoc addito: *Inadæquatè*. Ergo anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales, non sunt Philosophicum rectum hujus denominationis: *Homo adæquatè acceptus*, quia ad rationem recti Philosophici non sufficit, quòd unum de altero sit affirmabile cum hoc addito *Inadæquatè*; aliàs etiam totum physicum, v. g. homo esset rectum Philosophicum, ac proinde juxta Connotatistas esset constitutivum hujus denominationis: *Pars actualis ut talis*, siquidem etiam homo est verè affirmabilis de sua parte actuali ut tali, v. g. de anima unita corpori, cum hoc addito: *Inadæquatè*; vera namque est propositio ista: *Anima unita corpori, inadæquatè est homo*, adæquatè (ut suppono semper) acceptus. 3*tiò*. Ex responsione infero. Ergo potest aliquid de aliquo affirmari vel simpliciter sine ullo addito, vel cum hoc addito: *Inadæquatè*, ut optimè supponit responsio. Cùm igitur à Connotatistis dicitur illud importari vel esse importabile in recto denominationis, quod est verè per casum rectum affirmabile de eadem denominatione, quis sensus est? An iste: *Illud importatur vel est importabile in recto denominationis, quod est verè simpliciter per casum rectum affirmabile de eadem denominatione?* An iste: *Illud importatur vel est importabile in recto denominationis, quod est verè cum hoc addito: Inadæquate, per casum rectum affirmabile de eadem denominatione?* An certè iste:

Illud importatur vel est importabile in recto denominationis, quod est vel simpliciter, vel cum hoc addito: Inadæquatè, per casum rectum affirmabile de eadem denominatione? Si 1mum. Ergo Connotatistiсum indicium Constitutivi non competit essentialibus partibus v. g. hominis, distributivè sumptis ut talibus, quia prædictæ partes non sunt verè simpliciter affirmabiles per casum rectum de homine, ut declaratum numero superiore. Si 2dum. Ergo idem indicium nec omni, nec soli competit constitutivo. Non omni; quia non competit essentialibus partibus hominis collectivè sumptis (hæ enim non sunt verè affirmabiles de homine adæquatè accepto, cum hoc addito: *Inadæquatè*, falsa siquidem est hæc propositio: *Homo adæquatè acceptus, inadæquate est collectio ex omnibus partibus essentialibus hominis.*) ac proinde non competit adæquato constitutivo hominis, quale constitutivum communiùs admittitur à Connotatistis, & ab ipso R. P. Tuchoľka in Logica num. 162. Non soli; quia competit etiam toti physico comparato ad suam partem actualem ut talem, de hac enim verè per casum rectum est affirmabile totum physicum cum hoc addito: *Inadæquate*, ut certum est omnibus, ac etiam ipse R. P. Tuchoľka non diffitetur in Logica num. 171. sub ly: *Probatur 2dò* dicens: *Vera est affirmatio: Homo est partialiter anima, & è converso ista: Anima est partialiter homo.* Si 3tium. Ergo rursus idem indicium, nec omni, nec soli competit constitutivo. Non omni; quia Essentia DEI Theologicè sumpta est constitutiva Generantis Verbum, & tamen illa nec simpliciter est generans Verbum, nec inadæquatè est generans Verbum, aliàs inter Essentiam DEI Theologicè sumptam ac inter Verbum daretur oppositio producentis & producti, consequenter inter hoc & illam daretur distinctio realis, ac proinde illa huic non identifi-

caretur realiter adæquatè, quod est contra fidem. Non soli; quia etiam totum physicum (juxta Connotatistas nullatenus constitutivum suæ partis actualis quà talis) de sua parte actuali quà tali est affirmabile verè vel simpliciter, vel cum hoc addito: *Inadæquatè*, vera siquidem est hæc propositio: *Actualis quà talis pars totius physici vel simpliciter, vel inadæquatè est totum physicum*, ut probo. Cujus propositionis disjunctivæ saltem una pars est vera, illa propositio est simpliciter vera, quia juxta Dialecticam ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit, ut etiam unica pars illius sit vera. Sed prædicta propositio est disjunctiva, illiusque saltem una pars est vera, scilicet hæc: *Actualis quà talis pars totius physici, inadæquatè est totum*. Ergo prædicta propositio est simpliciter vera.

68. Adverto, quòd suprà data probatio militet etiam contra indicium constitutivi, exactiùs ad finem numeri 64. explicatum à R. P. Tuchoska, quia non omne verè per casum rectum affirmabile de partibus essentialibus physicis hominis distributivè sumptis ut talibus, est verè per casum rectum affirmabile de homine, nam de partibus essentialibus physicis hominis distributivè sumptis ut talibus est verè per casum rectum affirmabile, quòd sint pars hominis, quælibet enim pars essentialis physica hominis est pars hominis, jam verò de homine non est verè per casum rectum affirmabile, quòd sit pars hominis, seu suiipsius. Item non omne verè per casum rectum negabile de partibus essentialibus physicis hominis distributivè sumptis ut talibus est verè per casum rectum negabile de homine, quia de partibus essentialibus physicis hominis distributivè sumptis ut talibus verè per casum rectum est negabile, quòd sint homo, nulla siquidem pars essentialis physica hominis est homo, jam autem de homine non est verè per casum rectum negabile, quòd sit homo.

69. Probatur 2dò. eadē 1ma pars assumpti. Hæc prædicata Divina relativa: *Generans*, *Genitum*, & *Procedens*, sunt constitutiva Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, nec tamen illis competit prædictum constitutivi indicium. Ergo hoc non omni competit constitutivo. 1ma pars Antecedentis supponitur ex Tractatu de DEO. ac juxta insinuata num. 19. est sententia Archi-Ducis Noviorum Connotatistarum R. P. Ioannis Gzowski, sub cujus nomine Connotata gratiam invenerunt. 2da pars Antecedentis probatur. Prædicata illa relativa in sensu Oppositorum nec importantur, nec sunt importabilia in recto hujus denominationis: *Essentia DEI Theologicè sumpta*. Ergo dictum constitutivi indicium ipsis non competit. Probatur Antecedens. Prædicata illa relativa non sunt verè affirmabilia per casum rectum de hac denominatione: *Essentia DEI Theologicè sumpta*. Ergo in sensu Oppositorum nec importantur nec sunt importabilia in recto denominationis prædictæ. Consequentia patet ex insinuatis num. 66. Antecedens probatur, quia non potest esse vera hæc propositio: *Essentia DEI Theologicè sumpta est generans, est genita, est procedens*, siquidem juxta fidem Essentia DEI Theologicè sumpta nec est generans, nec genita, nec procedens, secundùm illud Concilii Lateranensis: *Substantia, Essentia, sive Natura Divina neque est generans, neque genita, nec procedens*. Adverto, quòd etiam hæc probatio militet contra indicium constitutivi exactiùs ad finem numeri 64. explicatum à R. P. Tuchołka, quia non omne verè per casum rectum affirmabile v. g. de generante in Divinis, est verè per casum rectum affirmabile de Essentia DEI Theologicè sumpta, nam de generante in Divinis verè per casum rectum est affirmabile, quòd sit generans, secus de Essentia DEI Theologicè sumpta. Item non omne verè per casum rectum

negabi-

negabile de generante in Divinis, est verè per casum rectum negabile de Essentia DEI Theologicè sumpta, quia de generante in Divinis verè est negabile, quòd realiter adæquatè identificetur omnibus & singulis Personis Divinissimis, secus de Essentia DEI Theologicè sumpta.

70. Probatur 3tiò. & jam declaratur 2da pars assumpti positi ab initio numeri 66. Totum physicum non est constitutivum suæ partis actualis ut talis, & tamen importatur in recto Connotatistico hujus denominationis: *Pars actualis ut talis constituens actu totum physicum*. Ergo Connotatisticum indicium constitutivi non soli competit constitutivo. Prima pars Antecedentis certa est Connotatistis, qui in suis Manuscriptis Doctissimis passim pro absurdo habent totum esse constitutivum suæ partis actualis; & aliàs connotatum, quod ab illis semiextrinsecum vocitatur, revera non connotatum sed constitutivum esset, quod repugnat in terminis. 2da pars Antecedentis probatur. Quod in aliqua propositione, vel secundùm alios in recta explicatione rei est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, ut patet ex declaratis num. 64. Ergo & quod in aliqua propositione vel in recta explicatione partis actualis ut talis constituentis actu totum physicum, est verè affirmabile per casum rectum de parte actuali ut tali constituente actu totum physicum, illud importatur in recto Connotatistico hujus denominationis: *Pars actualis ut talis constituens actu totum physicum*. Sed totum physicum in aliqua propositione vel recta explicatione partis actualis ut talis constituentis actu totum physicum est verè affirmabile per casum rectum de parte actuali ut tali constituente actu totum physicum. Ergo &c. Probatur Minor. Vera est hæc

propositio

propositio: *Pars actualis ut talis constituens actu totum physicum, inadæquatè est suum totum physicum*, ista siquidem propositio æquivalet huic verissimæ: *Pars actualis ut talis constituens actu totum physicum, inadæquatè identificatur suo toti physico.* Ergo totum physicum in aliqua propositione est verè affirmabile per casum rectum de parte actuali ut tali constituente actu totum physicum. Est quoque idem de eadem verè affirmabile in recta explicatione partis actualis ut talis constituentis actu totum physicum; quia hæc propositio: *Pars actualis ut talis constituens actu totum physicum, inadæquatè est suum totum physicum*, est recta explicatio partis actualis ut talis constituentis actu totum physicum. Tum quia omnis alia explicatio prædictæ partis, quæcunque est adferibilis, solùm verbis differre potest ab explicatione suprà data, ut facilè patere potest reflectenti. Tum quia per explicationem rectam denominationis aut rei, certè non intelligitur à Connotatistis rigorosa per genus proximum & differentiam ultimam definitio rei aut denominationis, aliàs non esset recta explicatio hominis etiam hæc propositio: *Homo est collectio ex corpore & anima rationali unitis sibi*, ista siquidem propositio certè non est rigorosa per genus proximum & differentiam ultimam definitio hominis. Ergo per rectam explicationem rei aut denominationis debet à Connotatistis intelligi aliqua propositio vera, aliquomodo etiam non rigorosè definitivè declarativa, quid sit aliqua res aut denominatio? Hinc rectè monet unus ex Doctissimis Connotatistis R. P. Kobielski in Physica num. 58. *Per rectam explicationem intellige veram de eadem re propositionem.* Atqui hæc propositio: *Pars actualis ut talis constituens actu totum physicum, inadæquatè est suum totum physicum*, utique est propositio vera, aliquomodo declarativa, quid sit pars

prædicta

prædicta. Ergo &c. Nec obest, quòd in præfata explicatione ly: *Totum*, ponatur in casu recto, in aliis verò explicationibus ponatur in casu obliquo; hoc enim non diversificat quoad rem alias explicationes partis actualis ut talis ab explicatione suprà posita, sicut quòd v. g. homo in hac explicatione: *Petrus est homo*, ponatur in casu recto, jam autem in hac explicatione: *Petrus est identificatus homini*, idem homo ponatur in casu obliquo, per hoc non diversificatur quoad rem 1ma explicatio à 2da &c.

71. Dices, & sic fortè distingues principale superioris probationis argumentum. Quod in aliqua propositione simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, concedes. Quod in aliqua propositione solùm cum aliquo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, negabis. Similiter distincto consequente, & subsumpta Minore, negabis Consequentiam, ac dices, quòd totum physicum sit verè affirmabile per casum rectum de parte actuali ut tali solùm cum hoc addito: *Inadæquatè* &c. Contra est 1mò. Hi termini distinctionis: *Simpliciter sine ullo addito verè affirmabile de re aut denominatione*, vel requiruntur omnino ad explicationem recti Connotatistici, ita ut ad rationem illius non sufficiat esse verè per casum rectum affirmabile de re aut denominatione solùm cum aliquo addito, vel non requiruntur omnino, sed ad rationem recti Connotatistici sufficit esse verè per casum rectum affirmabile de re aut denominatione etiam cum aliquo addito. Si prædicti termini non requiruntur omnino. Ergo quod in aliqua propositione etiam cum aliquo addito est verè per casum rectum affirmabi-

le de

le de re aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis. Ergo & quod in aliqua propositione cum aliquo addito est verè per casum rectum affirmabile de parte actuali ut tali, illud ĩportatur in recto Connotatistico partis actualis ut talis. Sed totum physicum in aliqua propositione cum aliquo addito est verè per casum rectum affirmabile de parte actuali ut tali, prout conceditur, & habetur declaratum numero superiore. Ergo &c. Si prædicti termini requiruntur omnino ad explicationem recti Connotatistici. Ergo hujus explicatio relata num. 64. non est recta, quia in explicatione recti Connotatistici, quod omnino addendum erat, non est à Connotatistis additum, scilicet ly: *Simpliciter sine ullo addito*, ut patet reflectenti ad fidelissimè relata num 64. 2*dò*. Iuxta hanc distinctionem, quod in aliqua propositione simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis; quod verò in aliqua propositione solùm cum aliquo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, non importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis. Ergo solùm id importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, quod simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione. Sed partes essentiales v. g. hominis distributivè sumptæ ut tales, simpliciter sine ullo addito non sunt verè affirmabiles per casum rectum de homine, ut declaratum in probatione hic 1ma. Ergo partes essentiales hominis distributivè sumptæ ut tales non importantur in recto Connotatistico hominis. Ergo in sententia Oppositorum partes essentiales hominis distributivè sumptæ ut tales non constituunt hominem, quia universaliter juxta Connotatistas quod est constitutivum rei, illud est re-

quisitum

quisitum essentiale rei importatum in recto ejusdem rei, ut patet ex relatis num. 63. Ergo deniq; constitutiva inadæquata physica hominis non constituunt eundem, quod repugnat in terminis. 3*tiò*. Quod in aliqua propositione simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione. illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, ut conceditur. Ergo & quod in aliqua propositione simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de pariete albo purè denominativè sumpto, illud importatur in recto Connotatistico parietis albi purè denominativè sumpti. Sed albedo in aliqua propositione simpliciter sine ullo addito (scilicet sine addito hoc vel simili: *Inadæquatè*) est verè affirmabilis per casum rectum de pariete albo purè denominativè sumpto, quia vera est hæc propositio: *Paries albus purè denominativè sumptus est vel paries, vel albedo, vel tam paries quàm albedo*, sicut vera est ista propositio: *Homo est vel Petrus, vel Paulus, vel aliud individuum humanum*. Ergo albedo importatur in recto Connotatistico parietis albi purè denominativè sũpti. Et tamen in sententia Oppositorum albedo est connotatum, non constitutivum prædicti parietis. Ergo assertum ab iisdem indicium constitutivi etiam per præfatos terminos limitatum, non soli competit constitutivo, sed etiam connotato.

72. Dices, & sic fortè distingues argumentum superioris ursionis 3tiæ. Quod in aliqua propositione non disjunctiva, simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re, aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, concedes. Quod in aliqua propositione disjunctiva, simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, illud importatur in recto

Connotatistico rei aut denominationis, negabis. Similiter distincto consequente & subsumpta Minore, negabis consequentiā, ac dices, quòd albedo in aliqua propositione solùm disjunctiva, simpliciter sine ullo addito est verè affirmabilis per casum rectum de pariete albo purè denominativè sumpto, quia falsa est hæc propositio: *Paries albus purè denominativè sumptus est albedo &c.* Contra est. 1mò. Hi termini distinctionis: *In aliqua propositione non disjunctiva*, vel requiruntur omnino ad explicationem recti Connotatistici, ita, ut ad rationem illius non sufficiat esse verè per casum rectum affirmabile de re aut denominatione in aliqua propositione disjunctiva, vel non requiruntur omnino, sed ad rationem recti Connotatistici sufficit esse verè per casum rectum affirmabile de re aut denominatione, etiam in aliqua propositione disjunctiva. Si prædicti termini non requiruntur omnino. Ergo quod in aliqua propositione etiam disjunctiva est verè per casum rectum affirmabile de re aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis. Ergo & quod verè per casum rectum est affirmabile de pariete albo purè denominativè sumpto in aliqua propositione etiam disjunctiva, illud importatur in recto Connotastico parietis albi purè denominativè sumpti. Sed albedo verè per casum rectum est affirmabilis de pariete albo purè denominativè sūpto, in aliqua propositione disjunctiva, ut conceditur, & patet ex declaratis numero superiore. Ergo &c. Si prædicti termini requiruntur omnino ad explicationem recti Connotatistici. Ergo unâ exceptâ quævis alia explicatio recti Connotatistici non est recta, quia solâ exceptâ explicatione data à R. P. Radominski, quævis alia non addit, quod omnino addendum erat, scilicet ly: *In aliqua propositione non disjunctiva*, ut patet reflectenti ad fidelissimè relata num. 64. 2dò. Etiam

id, quod

id, quod simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione in propositione disjunctiva, importatur in recto denominationis aut rei. Ergo negata pars distinctionis non subsistit. Probatur Antecedens his instantiis. Sic v.g. hæ differentiæ animalis: *Rationale & irrationale*, simpliciter sine ullo addito sunt verè affirmabiles per casum rectum de animali in propositione disjunctiva, quia verissima est hæc propositio: *Animal est vel rationale vel irrationale*; nihilominus prædictæ differentiæ importantur in recto hujus denominationis: *Animal*. Tum quia aliàs in hac propositione: *Homo est animal*, ex parte prædicati non venirent in recto omnia animalia, quod est contra communiorem etiam Connotatistarum sententiam in Logica, ubi docetur, quòd saltem spectatis legibus Dialecticis universale dictum de subjecto minus latè patente retineat suam universalitatem. Tum quia juxta Connotatistas partes essentiales physicæ totius physici, realiter inadæquatè distinctæ à toto physico, importantur in recto totius physici. Ergo tantò magis partes totius potestativi, realiter adæquatè identificatæ toti potestativo, importantur in recto totius potestativi, quale totum est ly: *Animal*, illiusq; partes sunt *Rationale & Irrationale*. Similiter hæc individua humana, Petrus, Paulus, &c. simpliciter sine ullo addito sunt verè affirmabilia per casum rectum de homine in propositione disjunctiva, quia vera est hæc propositio: *Homo est vel Petrus vel Paulus, vel aliud individuum humanum*; nihilominus prædicta individua importantur in recto hujus denominationis: *Homo*, prout similibus ut suprà declaro rationibus. Tum quia aliàs in hac propositione · *Petrus est homo*, ex parte prædicati non venirent in recto omnes homines, quod est contra communiorem etiam Connotatistarum sententiam in Logica, ubi de actuali prædicatione ter-

mini universalis de subjecto minùs latè patente. Unde etiam juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 528. *Hæc propositio: Petrus est homo, per prædicatum attingit disjunctivè omnes homines in recto.* Tum quia juxta Connotatistas partes essentiales physicæ totius physici importantur in recto ejusdem totius. Ergo à fortiori partes totius potestativi importantur in recto ipsius. Porro ly: *Homo*, est totum potestativum, cujus partes sunt individua humana. Similiter substantia parietis simpliciter sine ullo addito est verè affirmabilis per casum rectum in propositione disjunctiva de pariete albo purè denominativè sumpto, quia vera juxta Oppositos est hæc propositio: *Paries albus purè denominativè sumptus est vel substantia parietis vel albedo, vel utrumque;* nihilominus juxta Connotatistas substantia parietis importatur in recto parietis albi purè denominativè sumpti &c. &c. 3tiò. Quod in aliqua propositione non disjunctiva, simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de re aut denominatione, illud importatur in recto Connotatistico rei aut denominationis, ut conceditur. Ergo & quod in aliqua propositione non disjunctiva, simpliciter sine ullo addito est verè affirmabile per casum rectum de eclipsi solis, illud importatur in recto Connotatistico hujus denominationis aut rei: *Eclipsis solis.* Sed interpositio lunæ inter terrã & solem, in aliqua propositione non disjunctiva simpliciter sine ullo addito est verè affirmabilis per casum rectum de eclipsi solis, quia vera est propositio ista: *Hæc eclipsis solis est hæc interpositio lunæ inter terram & solem*, cùm universaliter vera sit hæc propositio: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem*, ita siquidem communissimè à Mathematicis, nullo contradicente, explicatur eclipsis solis. Ergo interpositio lunæ inter terram & solem importatur in recto Connotatistico hujus denomi-

natio nis

nationis aut rei: *Eclipsis solis.* Et tamen interpositio lunæ inter terram & solem non est constitutivum eclipseos solaris, sed ipsius causa extrinseca. Ergo assertum à Connotatistis indicium constitutivi, etiàm per præfatos terminos limitatum, non soli competit constitutivo. Idem judicium esto de interjectione terræ inter lunam & solem, per quam explicatur à Mathematicis eclipsis lunæ, dum dicitur: *Eclipsis lunæ est interjectio terræ inter lunam & solem &c.*

73. Dices ad immediatè suprà datam instantiam, quòd interpositio lunæ inter terram & solē importetur in recto eclipseos solaris Grammaticaliter solùm, non vero Philosophicè. Contra est. 1mò Iuxta R. P. Gzowski, R. P. Radominski, & R. P. Popiel, *quod in aliqua denominatione*, aut potius in recta explicatione ejusdem, *ponitur in casu nominativo penes copulam principalem, illud importatur Philosophicè in recto*, ut patet ex auctoritatibus eorundem fidelissimè relatis & citatis num. 64. Ergo & quod in hac denominatione: *Eclipsis solis*, aut potiùs in recta explicatione ejusdem ponitur in casu nominativo penes copulam principalem, illud importatur Philosophicè in recto denominationis prædictæ. Sed interpositio lunæ inter terram & solem in hac denominatione: *Eclipsis solis*, aut potiùs in recta explicatione ejusdem, ponitur in casu nominativo penes copulam principalem, ut patet in hac propositione: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem.* Ergo interpositio lunæ inter terram & solem importatur Philosophicè in recto denominationis prædictæ. 2dò. Iuxta R. P. Domaradzki, & R. P. Kobielski *quod vel se solo, vel cum alio est verè affirmabile de re per casum rectum, illud importatur Philosophicè in recto rei*, ut patet ex auctoritatibus eorundem fidelissimè relatis & citatis num. 64. Ergo & quod vel se solo vel cum alio

est verè affirmabile per casum rectum de eclipsi solis, illud importatur Philosophicè in recto eclipseos solaris. Sed interpositio lunæ inter terram & solem vel se sola vel cum alio est verè affirmabilis per casum rectum de eclipsi solis, ut patet in propositione supràdicta. Ergo interpositio lunæ inter terram & solem importatur Philosophicè in recto eclipseos solaris. 3tiò. Fulmen hujus instantiæ sola declinavit correctior explicatio recti Philosophici, data à R. P. Tuchołka, relataque num. 64. alterius tamen de toto physico instantiæ telum non evasit, sic enim urgeo. Iuxta R. P. Tuchołka in Logica num 169 *Quod ita in aliqua denominatione vel recta explicatione rei ponitur in recto, ut ejus identitas sit verè affirmabilis aut negabilis per casum rectum cum omni illo prædicato, cum quo est affirmabilis aut negabilis identitas ejusdem denominationis, illud importatur Philosophicè in recto denominationis aut rei.* Vel clariùs. Quod in recta explicatione alicujus denominationis ita ponitur in casu nominativo, ut quidquid de illo est verè identicè per casum nominativum affirmabile aut negabile, id omne sit verè identicè per casum nominativum affirmabile aut negabile de eadem ipsa denominatione, illud juxta R. P. Tuchołka importatur Philosophicè in recto denominationis aut rei. Ergo & quod in recta explicatione partis physicæ actualis quà talis constituentis actu suum totum physicum, ita ponitur in casu nominativo, ut quidquid de illo est verè identicè per casum nominativum affirmabile aut negabile, id omne sit verè identicè par casum nominativum affirmabile aut negabile de eadem ipsa parte physica actuali quà tali constituente actu suum totum physicum, illud juxta R. P. Tuchołka importatur Philosophicè in recto partis physicæ actualis quà talis constituentis actu suum totum physicum. Sed totum physicum in recta explicatione partis phy-

tis physicæ actualis quà talis constituentis actu suum totum physicum, ita ponitur in casu nominativo, ut quidquid de illo toto est vere identice per casum nominativum affirmabile, aut negabile, id omne sit verè identicè per casum nominativum affirmabile aut negabile de parte physica actuali quà tali constituente actu suum totum physicum, quia vera est hæc propositio: *Pars physica actualis quà talis constituens actu suum totum physicum, inadæquatè est suum totum physicum, v. g. Anima rationalis unita materiæ hominis, inadæquatè est homo*, consequenter vera quoque est hæc propositio: *Anima rationalis unita materiæ hominis, inadæquatè est animal rationale, inadæquate est risibile &c.* Ergo totum physicum juxta R. P. Tuchołka importatur Philosophicè in recto partis physicæ actualis quà talis constituentis actu suum totum physicum. Et tamen illud non est constitutivum hujus. Ergo Connotatisticum indicium constitutivi, etiam præfatis terminis circumscriptum, non soli competit constitutivo.

74. Objicitur 1mò. Indicium constitutivi propositum num. 63. competit omni, soli, ac semper suo significato, estque clarius illo, utpote per casum rectum etiam Grammaticis notum explicans rationem constitutivi. Ergo signum constitutivi est hoc, quòd sit requisitum essentiale rei impoitatum in recto ejusdem rei. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 23. & in Logica num. 574. passimque alii Connotatistæ. Respondeo. 1mam partem assumpti nego ex deductis à numero 66. ad numerum 69. inclusivè. 2dam quoque partem assumpti nego ex deductis à numero 70. His negatis tertia pars assumpti per se corruit. 4tam partem assumpti liberaliter dono opponentibus Anticonstitutivistis. Quid tum? Ad hoc certè, ut indicium constitutivi sit rectum, non sufficit id præcisè, quòd illud constet terminis notis etiam Grammaticæ, quia

præterea ad hoc maximè requiritur, ut indicium constitutivi soli conveniat constitutivo; si enim non soli conveniat constitutivo, non poterit ex illo inferri, quòd id, cui illud convenit, sit constitutivum, sicut ex animali nequit inferri quòd sit rationale, ut optimè more solito advertitur in Dissertatione Philosophica Disput. 2. Quæst. 3. num. 65.

75. Objicitur 2dò Affirmabilitas pro explicatione in definitione identitatis adfertur ab omnibus. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 23. Iuxta alios affirmabilitas unius de alio est passio & proprietas metaphysica identitatis. Ergo quæ secum identificantur, debent de se affirmari. Sed quæ sunt alicujus constitutiva, illa secum identificantur. Ergo quæ sunt ejus constitutiva, debent de illo affirmari. Atqui non in obliquo. Ergo in recto. Respondeo. Nego 1mum assumptum, nã imprimis (ut mittam alias Doctorum hoc in puncto sententias) juxta Aristotelem identitas est *plurium nomine unitas in re.* Hinc etiam secundùm Eruditissimum Ulloa in Logica Majore Disp. 1. cap. 1. num. 1. *identitas realis est unitas seu indivisibilitas in esse, ut satis* (inquit) *colligitur ex Philosopho.* Et juxta ipsummet R. P. Domaradzki in Logica num. 336. *identitas definitivè est unitas saltem partialis, propriè talis aliquorum inter se, seu est ratio formalis, vi cujus aliqua saltem partialiter sunt quid unum propriè inter se.* Ergo falsum est, quòd affirmabilitas pro explicatione in definitione identitatis adferatur ab omnibus. Deinde passim jam à Recentioribus in Philosophia rejicitur definitio identitatis per affirmabilitatem. Et meritò. Tum quia totum physicum identificatur suæ parti physicæ, ac vicissim hæc illi, nihilominus nec totum physicum de sua parte physica, nec pars physica totius physici de suo toto verè simpliciter affirmari potest, nam simpliciter falsæ sunt hæ v. g. propositiones:

Anima

Anima rationalis est homo. Homo est anima rationalis. &c. Tum quia generans in Divinis identificatur realiter adæquatè Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, nec tamen generans est prædicatum verè affirmabile de prædicta Essentia. Tum quia in creatis quoque licèt omne realiter adæquatè identificatum alicui censeatur esse affirmabile de eodem aliquo, è contra tamen non omne affirmabile de aliquo est realiter adæquatè identificatum eidem alicui, ut patet in his v. g. propositionibus: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem. Eclipsis lunæ est interjectio terræ inter lunam & solem &c.* Ex iisdem rationibus nego & 2dum assumptum, quòd scilicet affirmabilitas unius de alio sit passio & proprietas metaphysica identitatis. Tum quia totum physicum, quamvis identificatum suæ parti physicæ, non est verè simpliciter affirmabile de eadem parte; & pars physica totius physici, quamvis identificata suo toti physico, non est vere simpliciter affirmabilis de eodem toto. Tum quia prædicatum generantis in Divinis, quamvis realiter adæquatè identificatum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, non est verè affirmabile de eadem Essentia. Tum quia etiam realiter adæquatè distincta possunt de se verè affirmari, ut patet in præjactis Mathematicis propositionibus de eclipsi solis & lunæ &c. Ergo affirmabilitas unius de alio nec omni, nec soli competit extremo identitatis, ac proinde non est proprietas metaphysica ejusdem, quia proprietas metaphysica rei debet competere omni & soli illi rei, cujus est proprietas.

76. Objicitur 3*tiò*. Omne requisitum essentiale sive denominationis, sive rei, in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut saltem importabile in recto Philosophico, est constitutivum illius denominationis vel rei; è contra verò omne illud requisitum essentiale, quod

in eadem denominatione vel recta illius rei explicatione non est importatum vel importabile in recto Philosophico, est purum requisitum seu connotatum. Ergo signum discretivum Constitutivi à Connotato est, quòd constitutivum denominationis aut rei sit requisitum essentiale denominationis aut rei, in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut saltem importabile in recto Philosophico. Probatur 1ma pars assumpti. Omne requisitum essentiale se toto identificatum rei est constitutivum intrinsecum ejusdem rei, hæc enim est definitio constitutivi. Sed omne requisitum essentiale importatum aut importabile in recto in denominatione, aut recta rei explicatione, est se toto identificatum eidem denominationi vel rei. Ergo &c. Probatur Minor. Si aliquod requisitum essentiale, quod in aliqua denominatione vel recta rei explicatione importatur aut saltem est importabile in recto Philosophico, non esset se toto identificatum rei, tunc ejusmodi requisitum non posset verè affirmativè ac determinatè per casum rectum de illa denominatione vel re prædicari, hoc enim ipso si posset sic prædicari, esset se toto identificatum denominationi illi vel rei, siquidem juxta principium ab omnibus receptum in omni propositione affirmativa vera determinata seu non disjunctiva rectum prædicati identificatur realiter adæquatè recto subjecti. Sed omne requisitum essentiale in denominatione vel recta explicatione rei importatum aut saltem importabile in recto Philosophico, potest verè affirmativè ac determinatè per casum rectum de illa denominatione vel re prædicari. Ergo &c. Probatur Minor. Cujus identitas est affirmabilis per casum rectum cum prædicatis identificatis realiter adæquate denominationi aut rei, illud potest verè affirmativè ac determinatè per casum rectum de illa denominatione

vel

vel re prædicari, ut per ſe patet. Sed omnis requiſiti eſſentialis, quod in aliqua denominatione aut recta rei explicatione importatur, aut eſt importabile in recto Philoſophico, eſt affirmabilis identitas per caſum rectum cum prædicatis identificatis adæquatè eidem denominationi vel rei; illud enim intelligimus eſſe importatum aut importabile in recto Philoſophico, quod ita in aliqua denominatione vel recta rei explicatione ponitur aut eſt ponibile in recto, ut ejus identitas ſit verè affirmabilis per caſum rectum cum omnibus illis prædicatis, cum quibus eſt affirmabilis identitas ejusdem denominationis vel rei. Ergo omne requiſitum &c. Ita in terminis R. P. Tuchołka in Logica num. 171.

77. Reſpondeo Alterā aſſumpti partē ex probandis & defendendis §. 5to nego ſimpliciter; 1mā diſtinguo. Omne requiſitum eſſentiale ſive denominationis ſive rei, in eadē denominatione, vel recta explicatione rei importatum aut importabile in recto Philoſophico, eſt conſtitutivum illius denominationis vel rei, non tamen omne, nec ſolum conſtitutivum denominationis vel rei, eſt requiſitum eſſentiale denominationis aut rei in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut importabile in recto Philoſophico, concedo; ſimulque omne & ſolum conſtitutivum denominationis vel rei, eſt requiſitum eſſentiale denominationis aut rei in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut importabile in recto Philoſophico, nego 1mam aſſumpti partem ac conſequentiam, quia indicium diſcretivum conſtitutivi à connotato, convertibile (ut volunt Connotatiſtæ) cum conſtitutivo, debet competere omni & ſoli conſtitutivo. Porro tale non eſt Connotatiſticum indicium conſtitutivi, quia licèt omne requiſitum eſſentiale denominationis aut rei in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut importabile

in recto

in recto Philosophico rectè explicato sit constitutivum denominationis aut rei, ut liberalissimè concedimus; è converso tamen non omne, nec solum constitutivum denominationis aut rei, est requisitum essentiale denominationis aut rei in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut importabile in recto Connotatisticè explicato, ut patet ex probationibus Nostris suprà datis, ac R. P. Tuchołka hoc probare deberet, quòd omne & solum constitutivum denominationis aut rei sit requisitum essentiale denominationis aut rei in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut importabile in recto Philosophico Connotatisticè explicato, non vero istud Nobis indubitatum, quòd omne requisitum essentiale denominationis aut rei in eadem denominatione vel recta explicatione rei importatum aut importabile in recto Philosophico sit constitutivum denominationis aut rei. Quanquam & hoc alterum non probatur ab illo efficaciter, nam 1mò in 2do probationis argumento falsa est Major, quia Petrus v. g. est requisitum essentiale suæ partis actualis quà talis, se toto identificatum suæ parti actuali quà tali, ut declaratum superiùs num. 7. & 6. nec tamen Petrus est constitutivum intrinsecum suæ partis actualis quà talis. Similiter v. g. binarius ex DEO & anima Petri est requisitum essentiale ad esse animæ Petri, se toto identificatum eidē animæ Petri, ut declaratum num. 10. nec tamen ille binarius est constitutivum animæ Petri ut est extra omne dubium. 2dò. In 3tio probationis argumento sequela Majoris vera falso nititur fundamento, quia ex declarandis Sectione sequenti non est principium ab omnibus receptum, imò simpliciter falsum est, quòd in omni propositione affirmativa vera non disjunctiva rectum prædicati identificatur adæquatè recto subjecti. Falsa quoque est Minor ejusdem ar-

argumenti, in sententia Connotatistica, quia ly: *Generans* in Divinis est essentiale requisitum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, ut certum est omnibus, & in sententia Connotatistica importatur in recto Philosophico ejusdem Essentiæ, utpote constitutivum hujus Essentiæ etiam secundùm R. P. Gzowski in Tractatu de DEO à num. 57. juxtaque plures alios suos ex Connotatistis Sectatores; nec tamen idem ly: *Generans* potest verè affirmativè ac determinatè per casum rectum prædicari de eadem, ut suprà, Essentia, cùm juxta fidem Essentia DEI Theologicè sumpta non sit generans. Similiter partes totius physici, distributivè sumptæ ut tales, juxta omnes essentialiter requisitæ ad esse totius physici, in sententia Oppositorum importantur in recto ejusdem totius physici, & tamen ex declaratis num. 66. non sunt ita ut supra prædicabiles de eodem toto. 3*tiò*. In 4to probationis argumento falsa est Major. Tum quia non implicat, ut identitas v. g. bovis cum omnibus suis prædicatis sibi realiter adæquatè identificatis affirmetur ab aliquo de homine per casum rectum, quæ enim est in hoc repugnantia? Ergo identitas bovis cum homine est affirmabilis de homine per casum rectum cum omnibus suis prædicatis sibi realiter adæquate identificatis. Et tamen bos non potest verè affirmativè ac determinatè per casum rectum prædicari de homine. Nimirum sicut non omnis entitas, quæ est v. g. animal, est animal rationale, ita non omnis entitas, quæ vel cujus identitas est affirmabilis de aliquo est verè affirmabilis de eodem; aliàs cui competeret ratio generica, illi competeret ratio etiam specifica, ac proinde à genere valeret consequentia ad speciem &c. Tum quia vera est hæc propositio: *Essentia DEI Theologicè sumpta est identicè generans*, seu (quod merè synonymū est) realiter est identificata generanti, nullumque est ostendibile prædicatum realiter

adæquate

adæquatè identificatum generanti, cujus identitas prædicto modo non sit affirmabilis per casum rectum de Essentia DEI Theologicè sumpta. Ergo identitas generantis cum omnibus prædicatis sibi realiter adæquatè identificatis est verè per casum rectum affirmabilis de Essentia DEI Theologicè sumpta. Et tamen ly: *Generans*, non potest verè affirmativè ac determinatè per casum rectum prædicari de eadem Essentia, quia contra fidem est hæc simpliciter prolata propositio: *Essentia DEI Theologicè sumpta est generans.* Minor quoque ejusdem argumenti 4ti non omnino est firma, quia ly: *Generans* in Divinis est essentiale requisitum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, illiusque identitas in sententia Connotatistica ex insinuatis superiùs importatur in recto Philosophico ejusdem Essentiæ; nec tamen identitas generantis est verè affirmabilis per casum rectum cum omnibus prædicatis sibi realiter adæquatè identificatis de prædicta Essentia in hunc modum: *Essentia DEI Theologicè sumpta est generans.* Similiter totum physicum est essentiale requisitum ad esse suæ partis actualis physicæ quà talis, illiusque identitas importatur in recto Philosophico Connotatisticè explicato, ut patet ex dictis num. 73. Et tamen identitas totius physici non est verè affirmabilis per casum rectum cum prædicatis sibi realiter adæquatè identificatis de sua parte actuali quà tali in hunc modum: *Pars physica actualis quà talis, est suum totum physicum, v. g. Anima rationalis unita corpori quà talis, est homo &c.*

SECTIO

SECTIO 2da

Rejicitur explicatio recti data à Connotatistis, & res aliter explicatur.

78. DIco *imò*. Rectum denominationis non rectè explicatur á Connotatistis; quia Connotatistica explicatio recti nec omni, nec soli competit recto, uti hac inductione declaratur. *imò*. Explicatio recti data à R. P. Gzowski, à R. P. Radominski, & à R. P. Popiel, à me verò relata num. 64. nec omni, nec soli competit recto. Non omni. Tum quia in Divinis prædicatum v. g. generantis in sententia Connotatistica ex insinuatis numero superiore importatur in recto Philosophico Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, & aliàs importaretur in obliquo ejusdem Essentiæ, consequenter in sententia Oppositorū esset connotatū Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, ac proinde daretur connotatum rei adæquatè identificatum rei, quo certè quid absurdius? Et tamen prædicato generantis in Divinis non competit prædicta explicatio recti, ut patet ex declaratis num 69. Tum quia partes totius physici, distributivè sumptæ ut tales in sententia Connotatistica importantur in recto Philosophico totius physici, aliàs importarentur in obliquo ejusdem totius, consequenter in sententia Oppositorum essent connotatum sui totius, quo certè iterum quid absurdius? Et tamen prædictis partibus non competit præfata explicatio recti, ut patet ex declaratis num. 66. Non etiam soli; quia competit etiam aliquibus obliquis, scilicet competit toti physico respectu suæ par-

tis

tis actualis quà talis, ut declaratum num. 70. Competit quoque albedini respectu parietis albi purè denominative sumpti, ut declaratum numero 71. Competit denique interpositioni lunæ inter terram & solem respectu eclipseos solaris, ut declaratum num. 72. ad finem. 2dò. Similiter data à R. P. Domaradzki in Logica num. 576. hæc explicatio: *Rectum denominationis Philosophicè tale, est requisitum essentiale denominationis, in aliqua propositione affirmabile per casum rectum de eadem re*, imprimis neque competit prædicato v. g. generantis in Divinis ex declaratis num. 69. neque competit partibus physicis totius physici distributivè sumptis ut talibus ex declaratis num. 66. quæ tamen in sententia Connotatistica debent importari in recto. Ergo non competit omni recto Connotatistico. Deinde competit etiam obliquis immediatè suprà dictis, quia competit illis 2da pars explicationis juxta dicta num. 70. 71. & 72. Competit quoque illis pars explicationis 1ma, quia totum physicum est requisitum essentiale suæ partis actualis quà talis, hæc enim prout actu constituens suum totum physicum, ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentiam sine suo toto physico, v. g. anima Petri unita corpori Petri ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentiam sine Petro, ut declaratum num. 20. Similiter interpositio lunæ inter terram & solem est requisitum essentiale eclipseos solaris strictè talis, quia strictè talis eclipsis solis ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentiam sine interpositione prædicta, ut tali declaro argumento. Obtenebratio solis causata per interpositionem lunæ inter terram & solem, ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentã sine interpositione lunæ inter terram & solem, sicut visio parietis causata ab homine ex se ab intrinseco nullo modo po-

test esse etiam per absolutam DEI potentiam sine homine, & sicut juxta Connotatistas paries habens unitam sibi albedinem A. ex se ab intrinseco nullo modo potest esse etiam per absolutam DEI potentiam sine unita sibi albedine A. Sed strictè talis eclipsis solis est obtenebratio solis causata per interpositionem lunæ inter terram & solem. Ergo &c. Similiter albedo juxta Connotatistas est requisitum essentiale parietis albi purè denominativè sumpti, quia albedo juxta illos est Antonomasticum connotatum dicti parietis, quod connotatum juxta eosdem ex suo genere est essentiale requisitum rei 3*tiò*. Denique explicatio recti data à R. P. Tuchoïka, relata ad finem num. 64. imprimis ex insinuatis superiùs neque competit prædicato v. g. generantis in Divinis, neque competit partibus physicis totius physici distributivè sumptis quá talibus &c. ut suprà. Deinde licèt illa, tanquam exactior præ cæteris, non competat albedini respectu parietis albi purè denominativè sumpti, & interpositioni lunæ inter terram & solem respectu eclipseos solaris, competit tamen toti physico respectu suæ partis actualis quà talis; ut declaratum num. 73. in ursione 3tia. Ergo etiam illa non soli competit recto

79. Addo quòd 2dùm Esparza de Virtutibus Theologicis Quæst. 14. apud me pag. 102 *Dicitur rectū Logicè, quod tenet 1mum locum in cognitione quoad expressionem aut appretiationem; obliquum verò, quod tenet 2dum locum quoad easdem &c.* Etiā hæc explicatio recti non est recta, quia v. g. totum physicum tenet 1mum locum ex parte prædicati quoad expressionem in hac cognitione: *Actualis ut talis pars totius physici compositi ex pluribus partibus, inadæquatè est totum physicum compositum ex pluribus partibus;* nec tamen totum physicum est rectum suæ partis actualis ut talis. Similiter interpositio lunæ inter terram & solem, tenet 1mum locum ex parte prædicati quo-

ad expressionem in hac cognitione eclipseos: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem;* nec tamen dicta interpositio est rectum eclipseos solaris &c. His rejectis.

80. Dico 2dò sequentia. 1mò. Rectum denominationis ut sic, strictè & propriè tale, (quod hìc semel pro semper pono in consequentibus supponendum) est objectum, quod ita attingitur ab aliquo vero (sive definitivo rigorosè, sive aliter quomodocunque descriptivo) conceptu ejusdem denominationis, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari possit de eadem denominatione, verè & identicè simpliciter enuntiando hoc esse illud, v.g. extremū A. esse extremū B Etiā hos ultimos explicationis terminos semel hìc positos supponam semper. 2dò. Sic explicatum rectum denominationis ut sic, dividitur in rectum subjecti & rectum prædicati. Rectum subjecti est objectum, quod ita attingit explicitè propositio ex parte subjecti, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari possit de subjecto ejusdem propositionis. Rectum prædicati est objectum, quod ita attingit explicitè vel implicitè propositio ex parte prædicati, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari possit de prædicato ejusdem propositionis. 3tiò. Rectum subjecti subdividitur in rectum subjecti verè subjicibile recto prædicati, & in rectum subjecti falsò subjicibile recto prædicati. Primum est rectum subjecti, de quo conformiter ad objectum potest enuntiari rectum prædicati; quale rectum subjecti est & esse debet in omni propositione vera. 2dum est rectum subjecti, de quo difformiter ad objectum potest enuntiari rectum prædicati; quale rectum subjecti est in omni propositione falsa. Rursus rectum subjecti verè subjicibile recto prædicati, aliud est, de quo verè & identicè simpliciter potest enuntiari rectum prædicati;

cati; aliud de quo verè, non tamen identicè simpliciter, potest enuntiari rectum prædicati. *4tò* Similiter rectum prædicati subdividitur in rectum prædicati verè affirmabile de recto subjecti, & in rectum prædicati falsò affirmabile de recto subjecti. 1mum est rectum prædicati, quod conformiter ad objectum potest enuntiari de recto subjecti; quale rectum prædicati est & esse debet in omni propositione vera. 2dum est rectum prædicati, quod difformiter ad objectum potest enuntiari de recto subjecti; quale rectum prædicati est in omni propositione falsa. Rursus rectum prædicati verè affirmabile de recto subjecti aliud est, quod verè & identicè simpliciter potest enuntiari de recto subjecti; aliud, quod verè, non tamen identicè simpliciter, potest enuntiari de recto subjecti. *5tò*. E contra (oppositorum enim opposita est ratio) obliquum denominationis strictè ac propriè tale, prout & hìc suppono) est objectum, quod ita attingitur ab aliquo vero conceptu ejusdem denominationis, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari non possit de eadem denominatione. Obliquum subjecti est objectum, quod ita attingit explicitè vel implicitè propositio ex parte subjecti, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari non possit de subjecto ejusdem propositionis. Obliquum prædicati est objectum, quod ita attingit explicitè propositio ex parte prædicati, ut illud verè ac identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari non possit de prædicato ejusdem propositionis. Patebunt hæc clariùs ex instantiis dandis à num. 84.

81 His ita assertis ante omnia adverto hic tria. *1mò*. Dixi: *Rectum denominationis strictè & propriè tale*; quia dum quæritur, quid sit rectum? sine dubio quæritur, ac proinde etiam responderi debet de recto strictè proprieque tali, non de recto latiùs &

impropriè tali; ſicut dum quæritur v. g. quid ſit homo? quæritur proculdubio de homine ſtrictè & propriè tali, non de homine picto latiùs ac impropriè tali. Nimirum duplex eſt rectum, aliud objectivum, quod etiam materiale appellatur, aliud formale. Rectum objectivum eſt objectum ſignificatum per aliquem terminum formalem expreſſivum recti, ſicut homo objectivus eſt objectum ſignificatum per aliquem terminum formalem expreſſivum hominis. Rectum formale eſt ipſe terminus formalis ſignificans rectum, per hoc enim rectum formale differt ab objectivo. Ulteriùs rectum objectivum eſt rectum ſtrictè ac propriè tale, quia ſicut objectum ſignificatum per aliquem terminum formalem expreſſivum hominis eſt homo ſtrictè ac propriè talis, ita objectum ſignificatum per aliquem terminum formalem expreſſivum recti eſt rectum ſtrictè ac propriè tale. E contra rectum formale non eſt rectum ſtrictè ac propriè tale, quia ipſe terminus formalis ſignificans rectum non eſt rectum ſtrictè ac propriè tale, ſicut terminus formalis ſignificans hominem non eſt homo ſtrictè ac propriè talis; nam quemadmodum terminus formalis ſignificans hominem, eſt ſolùm ſignum hominis, ac proinde tale ſignum non eſt homo propriè, ſed tantùm tropicè per Metonymiam ponendo ſignum pro ſignato, ita terminus formalis ſignificans rectum, eſt ſolùm ſignum recti, ac proinde tale ſignum non eſt rectum propriè, ſed tantùm tropicè per Metonymiam ponendo ſignum pro ſignato. 2dò. Non me latet, quòd aſſertiones prædictæ, ſicut & quæcunque aliæ aliorum in hac materia, præjudicent nonnullis probabilibus Auctorum ſententiis. Ergo hôc unicè aut potiſſimum titulo prædicata earundem Aſſertionum nolo eſſe rigoroſas definitiones ſubjectorum. Nec certè omnibus introſpectis video, quomodo ſine præjudicio aliarum hac in materia opinio-

opinionum rectè definiri possit rectum & obliquum. 3tiò. Assertæ per me descriptiones recti, si illarum termini librentur accuratiùs, longè distant ab explicationibus Connotatisticis. Tum quia nullus ex Connotatistis addit ly: *Verè & identicè simpliciter*; in quibus tamen explicationis terminis præmeditatò additis ego totum hìc repono robur. Tum quia juxta Connotatistas omne rectum prædicati ex suo conceptu debet esse verè affirmabile de recto subjecti, ac quasi consequenter illud huic debet realiter adæquatè identificari. Secus juxta me; quia disertè dixi rectum prædicati ut sic, esse verè affirmabile non de recto subjecti, sed de ipso prædicato; ac secundùm me rectum prædicati à recto subjecti potest distingui realiter etiam adæquatè; nec omne, sed solùm aliquod rectum prædicati est verè affirmabile de recto subjecti, aliquod verò etiam falsò nonnisi est affirmabile de recto subjecti, aliàs in propositione falsa non daretur ullum rectum prædicati &c. His ante omnia præjactis.

82. Explico terminos Assertionum. 1mò. Affirmari simpliciter est affirmari aliquid de aliquo sine ullo addito restringente aut modificante sive ipsam formalem enuntiationem alicujus de aliquo, sive ipsum terminum enuntiatum, v. g. *Homo est animal.* Porro in quavis Assertione superiori ly: *Simpliciter*, ita ut immediatè explicatum, spectat, & relatum volo tam ad ly: *Verè*, quàm ad ly: *Identicè* &c. 2dò. Potest aliquid affirmari de aliquo non tamen verè, ut patet ex obviis per se instantiis. Iam ad rationem recti requiritur, ut istud possit verè affirmari de illa denominatione, cujus est rectum; quia etiam obliquum denominationis potest falsò affirmari de eadem denominatione v. g. *Pura creatura connexa cum DEO est DEUS* &c. ac proinde ad rationem recti non sufficit, quòd aliquid de aliquo possit affirmari falsò. 3tiò. Potest aliquid de

aliquo affirmari verè cum aliquo addito, non tamen simpliciter sine ullo addito restringente aut modificante, nam v. g. prædicatum generantis potest de Natura Divina affirmari verè cum hoc addito: *In sensu merè identico*, vera siquidem est hæc propositio: *Natura Divina in sensu merè identico est generans*, seu realiter adæquatè identificatur generanti, ut consentiunt omnes Theologi; idem tamen prædicatum de eadem Natura non potest affirmari verè simpliciter sine ullo addito, ut certum est de fide. Similiter prædicatum *Regis* potest de Legato Regis affirmari verè cum hoc addito: *Æquivalenter*, in hunc modum: *Legatus Regis æquivalenter est Rex*; idem tamen prædicatum de eodem Legato non potest affirmari verè simpliciter sine ullo addito &c. Iam ad rationem recti requiritur, ut istud possit verè simpliciter sine ullo addito affirmari de illa denominatione, cujus est rectum, quia etiam obliquum denominationis potest verè cum aliquo addito restringente aut modificante affirmari de eadem denominatione, ut patet in hac v. g. propositione: *Homo habens aliquid commune cum omnibus aliis creaturis, æquivalenter est omnis creatura*, secundùm illud S. Gregorii super illa Marci 16. verba: *Prædicate omni creaturæ*, homiliâ 15. dicentis: *Omnis creaturæ nomine signatur homo. Omnis enim creturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura est homo*, seu facto ordine Grammatico, & attenta mente Sancti Doctoris, homo est omnis creatura. Atqui non formaliter. Ergo æquivalenter. 4tò, Potest aliquid de aliquo affirmari verè simpliciter, etiam per copulam: *Est*, non tamen identicè, per dictam copulam non denotando identitatem prædicati cum

subjecto:

ſubjecto ; ut potiſſimùm patet in hac ſimpliciter vera propoſitione : *DEUS eſt hic homo natus ex MARIA Virgine.* Iam ad rationem recti requiritur, ut iſtud poſſit identicè affirmari de illa denominatione, cujus eſt rectum ; quia etiam obliquum denominationis poteſt non identicè affirmari de eadem denominatione, v. g. *Eclipſis ſolis eſt interpoſitio lunæ inter terram & ſolem*, hæc enim interpoſitio ſicut non identificatur realiter etiam inadæquatè eclipſi ſolis, ita non affirmatur identicè de eadem &c. 5*tò*. Poteſt aliquid de aliquo affirmari identicè cum aliquo addito reſtringente aut modificante, non tamen identicè ſimpliciter ſine ullo addito ; quia pars de toto adæquatè ſumpto poteſt affirmari identicè cum hoc addito : *Inadæquatè*, non tamen ſimpliciter ſine ullo addito, licèt enim vera eſt hæc propoſitio : *Totum adæquatè ſumptum, inadæquatè eſt pars*, falſa tamen eſt hæc ſimpliciter prolata propoſitio : *Totum adæquatè ſumptum eſt pars*, vera ſiquidem eſt hæc contradictoria : *Totum adæquatè ſumptum non eſt pars, v. g. Homo adæquatè ſumptus non eſt anima rationalis*, ut demonſtratur tali ſyllogismo in Ceſare : *Nulla anima rationalis eſt quid compoſitum ex materia & forma unitis ſibi. Sed omnis homo adæquatè ſumptus eſt quid compoſitum ex materia & forma unitis ſibi. Ergo nullus homo adæquatè ſumptus eſt anima rationalis*. Vel ſic in Cameſtres : *Omnis anima rationalis eſt purè ſpiritualis. Sed nullus homo adæquatè ſumptus eſt purè ſpiritualis. Ergo nullus homo adæquatè ſumptus eſt anima rationalis.* Iam ad rationem recti requiritur, ut iſtud poſſit identicè ſimpliciter affirmari de illa denominatione, cujus eſt rectum ; quia etiam obliquum denominationis poteſt identicè cum aliquo reſtringente ſeu modificante affirmari de eadem denominatione, ut patet in hac propoſitione : *Pars actualis phyſica totius phyſici, inadæquatè eſt ſuum*

totum; in qua certè propositione identicè cum aliquo addito modificante affirmatur totum physicum de sua parte actuali physica, ut patet, ac proinde obliquum partis actualis physicæ constituentis totum physicum identicè cum aliquo addito modificante affirmatur de eadem parte, quia totum physicum est obliquum suæ partis actualis physicæ etiam juxta Connotatistas Noviores asserentes, quòd totum sit semiextrinsecum connotatum suæ partis actualis &c. 6tò. Potest aliquid de aliquo affirmari verè & identicè simpliciter, non tamen verè & identicè simpliciter percopulã; *Est*, affirmando hoc esse illud, v.g. extremū A. esse extremū B. ut patet in his propositionibus: *Homo adæquatè sumptus identificatur animæ. Natura Divina identificatur generanti &c.* Jam ad rationem recti requiritur, ut illud possit verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari de illa denominatione, cujus est rectum, affirmando verè & identicè simpliciter hoc esse illud; quia etiã obliquum denominationis potest verè & identicè simpliciter affirmari de eadem denominatione, non tamen verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, in prædicto sensu, ut patet in propositionibus immediate suprà memoratis &c.

83. His ita explicatis, & reddita ratione singulorum, probatur Assertio. Data à Nobis descriptio v. g. recti (idem proportionate dicendum de asserta explicatione obliqùi) & soli, & omni competit recto. Ergo &c. Competit soli; cui enim præterea? Certe non convenit illa toti physico respectu suæ partis actualis ut talis, quia de parte physica actuali ut tali non potest vere & identice simpliciter per copulam: *Est*, affirmari suum totum physicum, nam licet vera sit hæc propositio: *Pars physica actualis ut talis inadæquatè est suum totum physicum*, falsa tamen est simpliciter (sine addito hoc: *Inadæquate*) prolata propositio: *Pars physica*

actualis

actualis ut talis est suum totum physicum, nam v. g. anima rationalis, etiam unita corpori, ac proinde quà actualis pars hominis, non est homo, ut tali demonstratur syllogismo in Cesare: *Nullus homo est purè spiritualis. Sed omnis anima rationalis, etiam unita corpori, est purè spiritualis. Ergo nulla anima rationalis, etiam unita corpori, est homo*; ac proinde eadem anima non est homo. Non convenit quoque illa nostra descriptio interpositioni lunæ inter terram & solem; respectu eclipseos solaris, quia de eclipsi solis non potest verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari interpositio lunæ inter terram & solem, hæc enim interpositio nullatenus identificatur eclipsi solis &c. Hinc verissimæ propositionis hujus: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem*, sensus est iste: *Eclipsis solis concomitanter* (non identicè) *est interpositio lunæ inter terram & solem*, seu eclipsis solis concomitatur interpositionem præfatam, tanquam effectus necessarius suam causam &c. Competit etiam omni, ut inductione sequenti declaratur.

84. 1*mò*. Rectum hujus denominationis: *Homo*, est natura humana completa, composita ex corpore & anima rationali unitis sibi; convenitq; huic naturæ nostra descriptio. Et sic de aliis similibus rectis. Ergo &c. 2da pars Antecedentis patet, quia ex una parte dicta natura humana attingitur ab hoc v. g. vero conceptu hominis: *Homo est natura composita ex corpore & anima rationali unitis sibi*, taliterque circumscripta natura sine dubio est natura humana, completa in ratione naturæ; ex altera parte eadem natura potest verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari de hac denominatione: *Homo*, ut palam est in conceptu immediatè suprà memorato. 1ma pars Antecedentis controversa probatur. Datur aliquod rectum hujus denominationis: *Homo*, ut certum est omnibus.

Ergo præfatæ denominationis rectum, vel est subsistentia humana vel natura humana, ita ut suprà circumscripta; quid enim aliud 3tium, realiter adæquatè distinctum à prædictis? Atqui non subsistentia humana. Ergo natura humana, ita ut suprà circumscripta. Probatur subsumpta Minor. Rectum hujus denominationis: *Homo*, realiter adæquatè identificatur huic denominationi: *Homo*, quia universaliter omne rectum denominationis realiter adæquatè identificatur suæ denominationi, nullum siquidem est fundamentum realiter distinguendi rectum denominationis ab eadem denominatione. Sed subsistentia humana realiter adæquatè non identificatur huic denominationi: *Homo*, ut certum est de fide. Ergo subsistentia humana non est rectum hujus denominationis: *Homo*. Adverto hìc diligenter, quòd licèt secundùm dicta immediatè omne rectum denominationis realiter adæquatè identificatur suæ denominationi, non tamen è converso omne realiter adæquatè identificatum denominationi est rectum ejusdem denominationis, ut tam in meis, quàm in Connotatisticis principiis declarabitur num. 87. Unde hìc deliberatè non argumentor in hunc v. g. modum: *Quod realiter adæquatè identificatur denominationi, illud est rectum denominationis. Ergo & quod realiter adæquatè identificatur huic denominationi: Homo, illud est rectum hujus denominationis: Homo. Atqui natura humana, ita ut suprà circumscripta, realiter adæquatè identificatur huic denominationi: Homo. Ergo &c.*

85. Ad solvenda aliqua noto sequentia. 1mò, Licèt juxta Aristotelem l. 2. Phys. textu 12. *Compositum natura quidem non est, sed est id, quod constat naturis*, falsum tamen est, quòd compositum ex corpore & anima rationali unitis sibi, non sit ullatenus natura. Tum quia sicut DEUS licèt non sit natura in sensu Aristotelico, est tamen juxta omnes

natura

natura in sensu non Aristotelico; ita compositum prædictum licèt non sit natura in sensu Aristotelico, est tamen natura saltem in sensu non Aristotelico. Tum quia juxta omnes natura humana sine subsistentia est natura completa in ratione naturæ, licèt non in ratione Personæ. Tum quia id supponitur ab omnibus Theologis in Tractatu de Incarnatione, ubi quæritur & resolvitur affirmativè, an natura creata completa sive purè spiritualis, sive materialis ac simul spiritualis possit assumi à DEO? Illud citatum ex Aristotele, facit fortè hunc sensum: *Compositum non est natura incompleta*, est tamen natura completa &c. 2dò. In hac propositione: *DEUS est homo*, rectum prædicati est natura humana ita ut suprà circumscripta, jam verò rectum subjecti est & Natura Divina, seu Deitas, & Persona Divina, ut declarabo numero sequenti. Inter prædicta tamen recta prædicati est hæc differentia, quòd Natura Divina sit rectum subjecti falsò subjicibile recto prædicati, seu naturæ humanæ completæ, jam verò Persona Divina est rectum subjecti verè (non tamen identicè simpliciter) subjicibile eidem recto prædicati. Ratio 1mi est, quia falsa est hæc propositio: *Deitas est natura humana completa*, Deitas enim nec per identitatem, nec per unionem physicam cum humanitate est natura humana completa. Non per identitatem; ut certum est. Non etiam per unionem physicam cum humanitate; quia juxta probabilorem de Incarnatione sententiam infundatam gravissimis Conciliorum auctoritatibus Natura Divina seu Deitas non est unita humanitati. Ratio 2di est, quia sicut vera est hæc propositio: *DEUS est homo*, ita & eodem sensu vera est etiam hæc propositio: *Persona Divina est natura humana completa*, nam sicut DEUS non per identitatem, sed per unionem physicam cum humanitate, aut per communicationem idiomatum infundatam præ-

dictæ

dictæ unioni, est homo; ita quoque Persona Divina unita humanitati, non per identitatem, sed per unionem physicam cum humanitate, aut per communicationem idiomatum infundatam prædictæ unioni, est natura humana completa. Hinc propositionis hujus: *DEUS est homo*, sensus est iste: *Persona Divina est natura humana completa &c.* Similiter, etiam post revelatam Incarnationem, hujus propositionis: *Petrus est homo*, sensus est iste: *Petrus est natura humana completa &c.* certè enim non est hic illius sensus: *Petrus est subsistentia humana*, quia subsistentia purè creata vel est accidens positivum, ut volunt Thomistæ, vel negatio contingens, ut contendunt Scotistæ, vel aliquid aliud realiter distinctum à subsistente, ut solidissimè speculantur Recentiores; jam autem Petrus neque est accidens positivum, neque est ulla negatio contingens, neque est aliquid aliud realiter distinctum à Petro. 3tiò. Ex prædictis numero superiore non sequitur, quòd syllogismus iste non concludat: *Omnis homo est animal. Sed DEUS est homo. Ergo DEUS est animal*; quia hic syllogismus in sententia nostra æquivalet huic: *Omnis natura humana completa est animal. Sed Persona Divina unita humanitati est natura humana completa. Ergo Persona Divina unita humanitati est animal*; ac proinde in syllogismo illo non variatur terminorum suppositio quoad recta &c.

86. 2dò. Rectum hujus denominationis: *DEUS*, est tam Natura Divina, quàm Persona Divina, ac utraque ex iisdem verificat nostram descriptionem recti. Ergo recto etiam prædictæ denominationis convenit data à Nobis descriptio recti. 2da pars Antecedentis patet, quia ex una parte Natura Divina attingitur ab hoc v. g. vero conceptu DEI: *DEUS est natura omnium aliarum naturarum perfectissima*, taliterque circumscripta natura sine dubio

est Na-

eſt Natura Divina. Similiter Perſona Divina attingitur ab hoc v. g. vero conceptu DEI: *DEUS eſt Perſona omnium aliarum Perſonarum digniſſima*, taliterque circumſcripta Perſona procul dubio eſt Perſona Divina. Ex altera parte tam Natura Divina, quàm Perſona Divina ;poteſt verè & identicè ſimpliciter per copulam : *Eſt*, affirmari de hac denominatione: *DEUS*, ut palam eſt in conceptibus immediatè ſuprà memoratis. 1ma pars Antecedentis probatur, quia datur rectum hujus denominationis: *DEUS*, ut certum eſt; quod verò aliud, niſi Natura & Perſona Divina? Certè non ſola Perſona Divina eſt rectum denominationis prædictæ, aliàs hæc propoſitio veriſſima: *DEUS eſt immultiplicabilis numero*, ſeu unicus, faceret hunc ſenſum falsiſſimum: *Perſona Divina eſt immultiplicabilis numero*, ſeu unica; ac de Natura Divina & Perſona Divina, realiter adæquatè identificatis ſibi, verificarentur hæc contradictoria: *Perſona Divina eſt rectum hujus denominationis*: DEUS. *Natura Divina non eſt rectum hujus denominationis*: DEUS; quorum tamen contradictoriorum admittendorum nullum eſt ſolidum fundamentum Theologicum. Non etiam ſola Natura Divina eſt rectum denominationis prædictæ, ;aliàs etiam hujus denominationis Divinæ: PATER, rectum eſſet ſola Natura Divina, conſequenter hæc propoſitio falſiſſima: *Pater æternus eſt Filius*, faceret hunc ſenſum veriſſimum: *Natura Divina identificata Patri, eſt Natura Divina identificata Filio*; ac iterum de Natura Divina & Perſona Divina verificarentur hæc contradictoria: *Natura Divina eſt rectum hujus denominationis*: DEUS. *Perſona Divina non eſt rectum hujus denominationis*: DEUS, *&c.* Quæres quodnam ſit juxta nos rectum ſubjecti & prædicati in hac propoſitione: *Pater æternus eſt Filius*, & quis eiusdem propoſitionis ſenſus? Reſpondeo. Rectum ſubjecti eſt tam Natura Divina, quàm

Perſona

Persona Patris, pariterque rectum prædicati est tam Natura Divina, quàm Persona Filii, cum hæc inter se differentia prædictorum rectorum, quòd Natura Divina sit rectum subjecti verè subjicibile huic prædicato: *Filius*, & recto ejusdem prædicati, jam verò Persona Patris est rectum subjecti falsò subjicibile huic prædicato: *Filius*, & alicui recto ejusdem prædicati, scilicet Personæ Filii, quia ex his propositionibus: *Natura Divina identificata Patri, est Natura Divina identificata Filio, est Filius. Persona Patris est Persona Filii, est Filius*; 1ma est vera, 2da falsa. Similiter Natura Divina est rectum prædicati verè affirmabile de hoc subjecto: *Pater*, & de recto ejusdem subjecti, jam verò Persona Filii est rectum prædicati falsò affirmabile de eodem subjecto, & de aliquo ejusdem recto, scilicet de Persona Patris, quia ex his propositionibus: *Pater, imò & illius Natura ac Personalitas est Natura Divina identificata Filio. Pater est Persona Filii, est Filius*, 1ma est vera, 2da falsa Iam prædictæ propositionis falsæ sensus pariter falsus est iste: *Natura Divina & Personalitas Patris est Natura Divina & Personalitas Filii*, vel etiam iste: *Personalitas Patris est Personalitas Filii*. Proportionatè discurrendum de rectis & sensu hujus propositionis veræ: *DEUS est immultiplicabilis numero*, seu unicissimus. Nimirum rectum v. g. subjecti in prædicta propositione, falsò subjicibile prædicato ejusdem propositionis est Persona Divina, quia falsa est hæc propositio: *Persona Divina est immultiplicabilis numero*, seu unica. Ergo hujus propositionis veræ: *DEUS est immultiplicabilis numero*, seu unicus, non est sensus hic falsus: *Persona Divina est immultiplicabilis numero*, seu unica. E contra rectum subjecti in prædicta propositione, verè subjicibile prædicato ejusdem propositionis est Natura Divina. Ergo hujus propositionis veræ: *DEUS est immultiplicabilis numero*, sensus

est iste:

est iste: *Natura Divina est immultiplicabilis numero &c.*

87. Adverto hic diligenter. Licèt ex prædictis rectum hujus denominationis: *Pater*, est tam Natura Divina, quàm Persona Patris, tamen prædicatum trinèpersonabilis, seu potentis subsistere per tres Personas Divinas, proprium Naturæ Divinæ, sine ullo addito restringente sumptum, non est rectum ejusdem denominationis, quia prædicatum trinèpersonabilis sine ullo addito restringente sumptum non est verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmabile de Patre, falsa siquidem est hæc simpliciter prolata propositio: *Pater est trinèpersonabilis*. Similiter prædicatum immultiplicabilis numero, non est rectum hujus denominationis: *Persona Divina*, utpote verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, non affirmabile de hoc subjecto: *Persona Divina*, quia contra fidem est hæc propositio: *Persona Divina est immultiplicabilis numero*, seu unica. Similiter prædicatum generantis, seu ly: *Generans*, sine ullo addito restringente sumptum, non est rectum hujus denominationis aut rei: *Natura Divina* Patet id ex descriptione recti à Nobis data; quia ly: *Generans*, sine ullo addito restringente sumptum, verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, non potest affirmari de Natura Divina. Patet & in principiis Oppositorum; quia universaliter juxta communiorem Connotatistarum doctrinam relatam num. 64 illud est rectum denominationis aut rei, quod est requisitum essentiale ejusdem denominationis aut rei, verè affirmabile per casum rectum de eadem denominatione aut re. Ergo illud est rectum etiam Naturæ Divinæ, quod est requisitum essentiale Naturæ Divinæ, verè affirmabile per casum rectum de Natura Divina. Sed ly: *Generans*, sine ullo addito restringente sumptum, non est requisitum essentiale Natu-

ræ Di-

ræ Divinæ verè affirmabile per casum rectum de Natura Divina, quia secundùm fidem falsa est hæc simpliciter prolata propositio: *Natura Divina est generans*. Ergo &c. Ex his instantiis patet etiam in principiis Connotatisticis (quod suprà num. 84. declarandum promisi) non omne realiter adæquatè identificatum denominationi aut rei, esse rectum denominationis aut rei, quia ly: *Generans*, realiter adæquatè identificatur Naturæ Divinæ, nec tamen ex prædictis est rectum Naturæ Divinæ. Similiter hoc prædicatum Naturæ Divinæ: *Trinèpersonabilis*, realiter adæquatè identificatur Patri, nectamen est rectum Patris. Similiter hoc prædicatum: *Immultiplicabilis numerò*, realiter adæquatè identificatur Personæ Divinæ, nec tamen est rectum Personæ Divinæ. Ergo inquies ly: *Generans* est obliquum Naturæ Divinæ; & hoc prædicatum: *Trinèpersonabilis*, est obliquum *P*atris &c. Concedo illatum ex assertis num. 80. quod etiam in suis principiis omnino est admittendum ab Oppositis. Ergo inquies ulteriùs, 1mum prædicatum in Divinis est connotatum Naturæ Divinæ, 2dum verò prædicatum est connotatum Patris. Hoc illatum alterum debent omnino admittere Connotatistæ; Nos negamus, quia juxta Nos obliquum rei potest esse constitutivum rei.

88. 3tiò. In propositionibus veris constantibus hoc subjecto: *DEUS*, rectū subjecti semper est tā Natura Divina, quàm Persona, ut patet ex dictis num. 86. & tam hæc, quàm illa verificat nostram descriptionem recti, quia tam Natura Divina, quàm Persona explicitè vel implicitè attingitur ex parte hujus subjecti: *DEUS*, ac verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de eodem subjecto. Rectum tamen subjecti verè subjicibile prædicato in iisdem propositionibus non semper est tam Natura Divina, quám Persona, sed aliquando tale in specie rectum subjecti est tam Natura Divina, quàm

Persona,

Persona, ut cùm dicitur: *DEUS est Omnipotens*, seu & Natura Divina, & Pater & Filius & Spiritus Sanctus est omnipotens; aliquando sola Natura Divina, non Persona, ut cùm dicitur: *DEUS est immultiplicabilis numero*, seu Natura Divina (non Persona) est immultiplicabilis numero; aliquando sola Persona Patris, ut cùm dicitur: *DEUS generat*, seu Persona Patris (non Natura, non Persona Filii, non Persona Spiritus Sancti, imò neque tam Natura, quàm Persona Patris) generat; aliquando sola Persona Patris & Filii, ut cùm dicitur: *DEUS spirat*, seu Persona Patris & Persona Filii (non Natura, non Persona Spiritus Sancti) spirat &c. Hinc etiam D. Thomas p. 1. q. 39 a. 4. in O dicit: *Hoc nomen DEUS quandoque supponit Personam vel unam tantùm, ut cùm dicitur: DEUS generat, vel duas, ut cùm dicitur: DEUS spirat &c.*

89. 4tò. In hac v. g. propositione: *Homo est animal rationale*, rectum subjecti est totum constitutum anima rationali & corpore unitis sibi, quod enim aliud? Certè partes hominis distributivè sumptæ ut tales non sunt rectum hominis, ut in principiis Oppositorum est declaratum num. 66. ac luculentiùs patet ex nostra descriptione recti. Idem quoque totum verificat datam à Nobis descriptionem recti, quia propositio suprà dicta ex parte subjecti implicitè attingit totum constitutum anima rationali & corpore unitis sibi tanquam essentiam physicam adæquatam hominis; ac totum hoc verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de subjecto ejusdem propositionis, vera siquidem est hæc propositio: *Homo est totum constitutum anima rationali & corpore unitis sibi.* Iam obliquum ejusdem subjecti est anima rationalis & corpus, quia propositio hæc: *Homo est animal rationale*, ex parte subjecti implicitè attingit animam rationalem tan-

quam partem hominis ac totius constituti anima rationali & corpore unitis sibi, quæ anima verè identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari non potest de subjecto ejusdem propositionis, scilicet de homine, falsa siquidem est hæc propositio: *Homo est anima rationalis*, ut patet ex demonstratis num. 82. 2dò. Rectum prædicati in eadem propositione est vivens potens exercere sensationes & ratiocinationes, quod enim aliud? idemque vivens verificat datam à Nobis descriptionem recti, quia hæc propositio: *Homo est animal rationale*, ex parte prædicati implicitè attingit præfatum vivens, ac idem vivens verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de prædicato ejusdem propositionis, vera siquidem est hæc propositio: *Animal rationale est vivens potens exercere sensationes.* Jam obliquum ejusdem prædicati sunt sensationes; & ratiocinationes, hæ enim verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari non possunt de prædicato ejusdem propositionis, ut certum est omnibus. 3tiò. In eadem propositione prædictum subjecti ■ rectū est verè (ac identicè simpliciter) subjicibile præfato recto prædicati, ac vicissim rectum prædicati est verè (& identicè simpliciter) affirmabile de recto subjecti, quia vera est hæc absolutissimè in præfato sensu prolata propositio: *Totum constitutum anima rationali & corpore unitis sibi; est vivens potens exercere sensationes & ratiocinationes &c.*

90. 5tò. In hac propositione: *Homo est animal*, sine addito hoc: *Rationale*, rectum subjecti est totum constitutum anima rationali & corpore unitis sibi, ut declaratum numero superiore. 2dò. Rectum prædicati est vivens potens exercere sensationes. Idem ex prædictis numero immediatè superiori judicium esto de obliquis præfatorum rectorum. Quæres an & rationale, & irrationale sit rectum hujus in eadem propositione prædicati: *Animal?* Re-

spondeo

spondeo affirmativè, quia tam rationale quàm irrationale est verè ac identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmabile de animali, veræ siquidem sunt hæ propositiones: *Animal est rationale. Animal est irrationale*; cùm enim utraque dicta propositio juxta Philosophos sit indefinita in materia contingenti (aut indifferenti) Logicè, utriusque subjectum supponit particulariter, ac proinde 1ma illa propositio facit hunc verissimum sensum: *Aliquod animal est rationale*, 2da verò facit sensum istum verissimum: *Aliquod animal est irrationale.* Firmatur. Vera est hæc v. g. propositio: *Aliquod animal est irrationale*, ut patet. Ergo vera quoque est etiam hæc propositio: *Animal est irrationale*, quia quoties vera est propositio aliquo syncategoremate affecta, toties eadē propositio vera est & dempto eodem syncategoremate, seu indefinitè prolata, ut patet universali inductione, imò ex priore sequitur posterior v. g *Aliquis homo est animal. Ergo homo est animal &c.* ac proinde si vera est propositio aliquo syncategoremate affecta, tunc etiam dempto eodem syncategoremate vera est eadem propositio, juxta illud Dialecticum: *Ex vero nonnisi verum.* Addo tamen, quòd irrationale sit rectum animalis, verè non affirmabile de hoc subjecto: *Homo*, & illius recto. Secus rationale.

91. 6tò In hac propositione: *Petrus est homo*, rectum subjecti est totum constitutum animâ Petri & corpore Petri unitis sibi, quod enim aliud? idemque totum verificat datam à Nobis descriptionem recti, quia propositio supràdicta ex parte subiecti implicitè attingit totum constitutum animâ Petri & corpore Petri unitis sibi tanquam essentiam physicam adæquatam Petri, ac totum hoc verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de subjecto ejusdem propositionis, vera siquidem est hæc propositio: *Petrus est totum constitu-*

tum animâ Petri & corpore Petri, unitis sibi. Jam obliquum ejusdem subjecti est anima Petri & corpus Petri, quia propositio hæc: *Petrus est homo*, ex parte subjecti implicitè attingit animam Petri tanquam partem Petri ac totius constituti animâ Petri & corpore Petri unitis sibi, quæ anima Petri verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari non potest de subjecto ejusdem propositionis, scilicet de Petro, quia falsa est hæc propositio: *Petrus est anima Petri*, ut sequitur ex demonstratis num. 82. si enim nullus homo est anima rationalis, tunc etiam Petrus non est anima Petri. 2*dò*. Rectum prædicati in eadem propositione conformiter ad dicta num. 84. est natura humana completa composita ex anima rationali & corpore unitis sibi. Ergo ulteriùs juxta communiorem Philosophorum sententiam rectum ejusdem prædicati est & Petrus, & Paulus, & cæteri homines omnes, non distributivè sed disjunctivè importati, quatenus docetur communiùs, quòd in hac propositione: *Petrus est homo*, ex parte prædicati implicitè attinguntur in recto omnes homines disjunctivè, quilibetq; ex illis verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de eodem prædicato, scilicet de homine, nam vera est v. g. hæc absolutissimè in præfato sensu prolata propositio: *Homo est Petrus*, & sic de cæteris individuis humanis, cùm enim dicta propositio juxta Philosophos sit indefinita in materia contingenti Logicè, subjectum illius supponit particulariter, ac proinde dicta propositio facit hunc verissimũ sensum: *Aliquis homo est Petrus*. Firmatur. Vera est hæc propositio: *Petrus est homo*, ut extra dubium est. Ergo vera quoque est etiam hæc: *Aliquis homo est Petrus*. Ergo denique vera est ista: *Homo est Petrus*. 2da consequentia patet ex declaratis numero superiore in simili. 1ma consequentia probatur. Hæc propositio: *Petrus est homo*, converti-

tur per

tur per istam: *Aliquis homo est Petrus*, ut docent Dialectici, ac inter illos Nostræ Provinciæ decus R. P. Adrianus Miaškowski in sua Dialectica Disp. 2. Quæst. 3. num. 160 dicens: *Propositiones de subjecto singulari, si sunt affirmativæ, & habent prædicatum commune, debent converti per propositiones particulares affirmativas &c.* Ergo ex propositione 1ma sequitur 2da, quia universaliter juxta Dialecticos propositio conversa, saltem simplex de inesse, infert convertentem, & è contra. Ergo si &c. 3tiò Licèt ex immediatè suprà dictis rectum hujus prædicati: *Homo*, sit tam Petrus, quàm v. g. Paulus, Petrus tamen est rectum illius verè affirmabile de recto subjecti, ut patet in hac propositione vera: *Totum constitutum animâ Petri & corpore Petri unitis sibi est Petrus*; Paulus verò est rectum ejusdem prædicati falsò affirmabile de recto subjecti, ut patet in hac propositione falsa: *Totū constitutum animâ Petri & corpore Petri unitis sibi est Paulus.*

92. 1mò In hac v. g. vera propositione: *Paries est albus*, rectum subjecti est totum constitutum materiâ parietis, & ejusdem materiæ formâ substantiali, unitis sibi; quod enim aliud? idemque totum verificat datam à Nobis descriptionem recti, ut proportionatè ad dicta numero superiore facilè potest declarari. 2dò Rectum prædicati in eadem propositione est, & totum constitutum tam subjecto albedinis, quàm albedine unita subjecto; & materia 1ma ac 2da parietis unita albedini ut probo. In hac propositione: *Paries est aliquod album*, rectum prædicati est quodlibet ex expressis superiùs. Ergo in hac quoque propositione: *Paries est albus*, rectum prædicati est quodlibet ex prædictis. Consequentia patet, quia sicut hæc propositio v. g. *Petrus est homo*, juxta probabiliorem Philosophiam æquivalet huic: *Petrus est aliquis homo*, ita quoque hæc propositio *Paries est albus*, æquivalet huic: *Paries*

est aliquod album. Antecedens probatur. Quodlibet ex expressis superiùs est rectum hujus prædicati: *Aliquod album.* Ergo &c. Probatur Antecedens. Quodlibet ex expressis superiùs est verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmabile de hoc prædicato: *Aliquod album.* Ergo &c. Probatur Antecedens, quia veræ sunt hæ absolutissimè in præfato sensu prolatæ propositiones: *Aliquod album est totum constitutum subjecto albedinis, & albedine unita subjecto. Aliquod album est materia 1ma parietis unita albedini Aliquod album est materia 2da parietis unita albedini*; sicut è converso veræ sunt propositiones istæ: *Totum constitutum subjecto albedinis, & albedine unita subjecto, est aliquod album. Materia 1ma parietis unita albedini, est aliquod album. Materia 2da parietis unita albedini, est aliquod album.* Illustratur. Album concretè sumptum est aliquod album, ùt certum est omnibus. Sed totum constitutum tam subjecto albedinis, quàm albedine unita subjecto, est album concretè sumptum. Ergo totum constitutum tam subjecto albedinis, quàm albedine unita subjecto, est aliquod album. Ergo & aliquod album est totum constitutum tam subjecto albedinis, quàm albedine unita subjecto. Deinde subjectum capax hujus denominationis: *Album*, habens unitam sibi albedinem potentem tribuere sibi denominationem albi, est aliquod album, scilicet saltem materialiter & specificativè sumptum. Sed materia 1ma & 2da parietis, unita albedini est subjectum capax hujus denominationis: *Album*, habens unitam sibi albedinem potentem tribuere sibi denominationem albi. Ergo materia 1ma & 2da parietis unita albedini est aliquod album. Ergo & aliquod album est materia 1ma ac 2da parietis, unita albedini. Ergo denique veræ sunt omnes propositiones supràdictæ exprimentes præfata Consequentia. Porro nomine materiæ 1mæ & 2dæ quid intelligatur,

suppono

ſuppono notum ex Philoſophia. Nimirum juxta communem Phyſicorum ſenſum nomine materiæ 1mæ intelligitur 1mum omnium formarum ſubjectum, ad quamlibet formam indifferens. Nomine materiæ 2dæ intelligitur ſubjectum ex materia 1ma & forma ſubſtantiali jam informante materiam coaleſcens, ad ulteriorem formam accidentalem indifferens. 3tiò. Non obſtantibus tamen suprà dictis in eadem propoſitione 1mum ex memoratis rectum prædicati eſt falsò affirmabile ſicut de ſubjecto, ita & de recto ejusdem inſinuato ſuperiùs, quia falſa ſimpliciter eſt hæc propoſitio: *Paries eſt totum conſtitutum tam ſubjecto albedinis quàm albedine unita ſubjecto*, cùm ſine dubio paries non conſtituatur albedine unita ſibi, & aliàs pars phyſica totius eſſet ſuum totum. Similiter 2dum rectum prædicati eſt falsò affirmabile ſicut de ſubjecto, ita & de recto ejusdem, quia falſa ſimpliciter eſt hæc propoſitio: *Paries eſt materia 1ma unita albedini*, paries enim eſt totum phyſicum conſtitutum materiâ 1mâ unitâ albedini tanquam ſua parte phyſica, jam verò falſum ſimpliciter eſt quòd totum phyſicum ſit ſua pars phyſica. 3tium tamen rectum prædicati eſt verè affirmabile de recto ſubjecti, quia vera ſimpliciter eſt hæc propoſitio: *Totum conſtitutum materiâ parietis & ejusdem forma ſubſtantiali, unitis ſibi, eſt materia 2da unita albedini*, ſiquidem proculdubio vera eſt hæc propoſitio: *Totum conſtitutum materiâ parietis & ejusdem materiæ forma ſubſtantiali, unitis ſibi, eſt ſubjectum coaleſcens ex materia 1ma & forma ſubſtantiali unitum albedini*, hæc enim propoſitio cùm ſit in materia contingenti, ſubjectum illius indefinitum ſupponit particulariter, ac proinde illa propoſitio facit hunc veriſſimum ſenſum: *Aliquod totum conſtitutum materiâ parietis & ejusdem materiæ forma ſubſtantiali, unitis ſibi, eſt ſubjectum coaleſcens ex materia 1ma & forma ſubſtan-*

tiali unitum albedini, ſicut & hæc propoſitio: '*Paries eſt albus*, facit hunc veriſſimum ſenſum: '*Aliquis paries eſt albus*, ſeu eſt ſubjectum coaleſcens ex materia 1ma & forma ſubſtantiali unitum albedini.

93. Dices. Ex aſſertis numero ſuperiori aliquod album eſt materia parietis unita albedini, ſeu eſt ſubjectum habens unitam ſibi albedinem. Ergo & paries albus eſt ſubjectum habens unitam ſibi albedinem, quia paries albus eſt aliquod album. Ergo rectè docetur à Connotatiſtis, quòd paries albus ſit paries habens unitam ſibi albedinem, ita ut ſubſtantia parietis veniat in recto, albedo verò & illius unio veniat in obliquo. Reſpondeo 1*mò*. Conceſſo aſſumpto nego 1mam conſequentiam, quia prædictum Enthymema reducitur ad alterutrum ex his ſyllogismis. Vel ad hunc: *Aliquod album eſt ſubjectum habens unitam ſibi albedinem. Sed aliquis paries albus eſt aliquod album. Ergo aliquis paries albus eſt ſubjectum habens unitam ſibi albedinem*. Vel ad hunc: *Aliquod album eſt ſubjectum habens unitam ſibi albedinem. Sed omnis paries albus eſt aliquod album. Ergo omnis paries albus eſt ſubjectum habens unitam ſibi albedinem*. Si 1mum; nulla eſt conſequentia, quia juxta Dialecticam ex duabus propoſitionibus particularibus nihil ſequitur vi formæ ſyllogiſticæ. Si 2dum; iterum nulla eſt conſequentia, quia prædictus ſyllogismus eſt in 1ma figura Ariſtotelica, nec tamen eſt in ullo modo ſive directo ſive indirecto 1mæ figuræ. Non eſt in ullo modo directo 1mæ figuræ; nam pro ſyllogismis 1mæ figuræ in modo directo præſcribitur lex hoc verſiculo comprehenſa: *Sit Minor affirmans, nec Major ſit ſpecialis*, ſeu particularis, alias enim medius terminus nullibi diſtribueretur in dicto ſyllogismo habente Majorem particulalem. Non eſt quoque idem ſyllogismus 2dus in ullo modo indirecto 1mæ figuræ; quia in modo indirecto 1mæ

figuræ

figuræ debet esse Major vel universalis, ut in 4. modis indirectis 1mæ figuræ, vel Major particularis & Minor universalis ut in 5to modo indirecto 1mæ figuræ. Porro in prædicto syllogismo 2do Major est particularis, non universalis, & è contra Minor est universalis non particularis. 2*dò*. Distinguo 1mum consequens. Ergo paries albus materialiter sumptus est subjectum habens unitam sibi albedinem, transeat consequentia ex prædictis. Ergo paries albus concretè vel formaliter sumptus, est subjectum habens unitam sibi albedinem, nego consequentiam 1mam. Ulteriùs nego etiam 2dam consequentiam, quia juxta Connotatistas nomine parietis albi intelligitur non paries albus materialiter acceptus, sed paries albus purè denominativè sumptus, Antonomasticè connotans albedinem, & nomine subjecti habentis unitam sibi albedinem intelligitur subjectum Antonomasticè connotans albedinem ac unionem; quorum utrumque æquè implicat, ac implicant connotata Antonomasticè talia.

94. 8*vò*. In hac v. g. vera propositione: *Petrus est scribens*, rectum subjecti juxta dicta num. 91. est totum constitutum animâ Petri & corpore Petri unitis sibi. Rectum prædicati est causa scriptionis actu physicè producens & exercens scriptionem, quia circumscripta causa scriptionis verè, & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de hoc prædicato: *Scribens*, vera siquidem est absolutissimè in præfato sensu hæc propositio: *Scribens est causa scriptionis actu physicè producens & exercens scriptionem*. Sic etiam in hac v. g. propositione: *Petrus est currens* rectum prædicati est causa cursûs actu physicè producens & exercens cursum &c. Quæres, an v. g. causa scriptionis actu physicè producens & exercens scriptionem sit verè ac identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmabilis de Petro? Respondeo. Causa scriptionis actu

physicè producens & exercens scriptionem materialiter sumpta pro entitate Petri, quæ actu physicè producit & exercet scriptionem, est verè ac identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmabilis de Petro. Secus causa scriptionis actu physicè producens & exercens scriptionem, concretè sumpta pro toto constituto entitate Petri potente scribere, & pro actuali exercitio scriptionis. quia falsa est hæc propositio: *Petrus est totum constitutum entitate Petri potente scribere, & actuali exercitio scriptionis &c.*

95. 9nò. In hac v. g. vera propositione: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem*, rectum subjecti est formalis obtenebratio solis causata per interpositionem lunæ inter terram & solem, jam autem rectum prædicati est collocatio lunæ in cælo inferiori ex adverso solis existentis in cælo superiori, ut facilè patere potest ex hactenus dictis, & patebit luculentiùs ex declarandis sectione sequenti num. 105. Porro hoc rectum prædicati est verè, non tamen identicè simpliciter affirmabile de recto subjecti, ut patet reflectenti ad dicta superiùs partim num. 72 adfinem, partim num. 82.

96. 10mò. In hac v. g. falsa propositione: *Homo est animal hinnibile*, conformiter ad dicta num. 89. rectum subjecti est totum constitutum anima rationali & corpore unitis sibi, rectum verò prædicati est vivens potens exercere sensationes & hinnitus. Porro quòd in prædicta & simili propositione falsa detur aliquod rectum subjecti & prædicati, ratio est. Tum quia datur obliquum hujus subjecti: *Homo*, nam saltem DEUS est obliquum sicut cujusvis creaturæ, ita & hominis. Datur quoque obliquum hujus prædicati: *Animal hinnibile*, quia sensationes & hinnitus certè sunt obliquum animalis hinnibilis. Ergo etiam datur rectum ejusdem subjecti ac prædicati. Tum quia omnis denominatio habet suum rectum, ut patet tum inductione univer-

fali, tum ex quocunque conceptu describente rectum denominationis ut sic, certè enim nulla denominatio potest carere eo, quod 1mum locum tenet in cognitione exprimente eandē denominationem, quod verè per casum rectum, aut secundùm Nos verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de eadem denominatione. Ergo & hæc denominatio: *Animal hinnibile*, habet suum rectum. Sed subjectum dictæ propositionis est hæc denominatio: *Homo*, & prædicatum ejusdem propositionis est hæc denominatio: *Animal hinnibile*. Ergo & subjectum & prædicatum dictæ propositionis habet suum rectum &c.

SECTIO 3tia
Rejicitur præsumptum Connotatistarum principium de recto prædicati, & statuitur indicium constitutivi.

97. DICO 1mò. Hæc illimitatè prolata propositio: *Rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti in omni propositione vera affirmativa non disjunctiva*, non subsistit. Est assertio contra Connotatistas relatos num. 65. qui propositionem dictam vocant principium 1mum, ab omnibus Philosophis receptum, apud omnes Philosophos & Theologos indubitatum. Cæterum potiùs contra istud Connotatisticum quasi principium, ac pro nostra conclusione stant plures Philosophi & Theologi, ipseque Philosophorum Princeps, nam 1mò. Aristoteles in prædicamento substantiæ expresse asserit: *Eorū, quæ in subjecto sunt, nomen, nihil prohibet prædi-*

bet prædicari aliquando de subjecto. Idem colligitur ex ejusdē verbis 1mi Periherm. 3tio, ubi docet: *Verbum esse notam eorum, quæ in subjecto vel de subjecto sunt.* Ergo juxta Philosophum etiam illa, quæ in subjecto sunt, seu quæ subjecto insunt, possunt prædicari de subjecto. Ergo etiam illa, quæ non identificantur objecto significato per subjectum formale, possunt juxta Aristotelem prædicari de subjecto, quia illa, quæ subjecto insunt, non possunt identificari objecto significato per subjectum formale, non enim v. g. albedo potest identificari parieti, cui inesse affirmatur. Ergo denique juxta Aristotelem ad veritatem propositionis affirmativæ etiam non disjunctivæ non requiritur identitas adæquata recti prædicati cum recto subjecti. 2*do.* Molina in 1mam Partem Quæst. 28. Artic. 3. Disp. 3. *sæpe,* inquit, *prædicata verarum propositionum distinguuntur à subjectis, ut patet in hac: Homo est albus.* 3*tiò.* Vasquez in 1mam Partem Disp. 155. num. 25. disertè asserit: *non quamcunque distinctionem impedire prædicationem unius de alio, cùm ea etiam, quæ propter varios modos afficiendi aut subiectum aut suppositum, distinguuntur, invicem prædicentur.* 4*tò.* Antonius Perez citatus ab Ayleworth Tractatu 2. Metaphys. Disp. 5. c. 7. num. 110. ait: *Ex parte prædicati rectum quandoque nullum, sed duntaxat obliquum reperiri.* *Hinc* inquit, *propositio ista: Petrus est albus, hunc reddit sensum: Petrus est unitus albedini, nullo recto ex parte prædicati allato.* Huic ego sententiæ ex dictis sectione superiore non subscribo, sicut & aliorum sententiis, partim hic relatis, partim in consequenti referendis. Ex hac tamen doctrina ineluctabiliter infero. Ergo & juxta Admirabilem Theologum ad veritatem propositionis affirmativæ non requiritur identitas recti prædicati cum recto subjecti. 5*tò.* Quiroz Disp. 16. sectio 4. Pag. 107. numero marginali 30. dicit;

Verba

Verba adjectiva, amo, intelligo &c. nullam denotare identitatem, sed munus, seu exercitium. Unde quantumvis resolvantur per ly: Sum, vel: Est, v. g. sum intelligens, Est intelligens, nunquam identitatem significant, sed puram adhærentiam. Quare ut propriè resolutio horum verborum fieret, construenda esset per ly: Habere, non per ly: Est, v. g. habet intellectionem, in quo nulla identitas denotatur, neque enim licet rursus resolvere: Est habens intellectionem, nam semper ly: Est, per habitudinem seu inhærentiam est explicandum, ut iterum repetatur: Habet habitudinem intellectionis, & sic sine fine. Sic ista propositio: Petrus est albus, strictiùs & meliùs explicatur: Petrus albet vel albescit. Hæc: Petrus est miles, expononda est: Petrus militat, vel alio verbo, quo ly: Est, non denotet identitatem. Hactenus Quiroz, qui etiam plura videri jubet Tomo 1. de DEO Disp. 4 sect. 1. 6tò. Isquierdo Disp. 2. Quæst. 4. Pag. 95 docet *copulam nunc sumi pro actu essendi, qui est identitas, nunc etiam prædicationem fieri per verbum adjectivum, qualia sunt omnia verba, & ipsum esse sumptum pro actu essendi existentiali.* Præterea inferiùs docet *prædicationem de quolibet verbo adjectivo tunc in sensu reali seu materiali veram esse, quando actus per tale verbum significatus realiter convenit illi rei, cui tanquam subjecto directo per eam attribuitur.* Tandem non identitatem, sed convenientiam inter concreta abstracta & subjecta requirit, dicens universaliter, quòd *ad omnem prædicationem affirmativam ut minimùm est necessarium, quòd prædicatum reverà conveniat subjecto.* 7mò. Ayleworth Tractatu 2do Metaph. Disp. 5. c. 7. n. 110. citato ut supra pro sententia negativa hujus controversiæ præsentis Antonio Perez, jam verò pro sententia affirmativa citato unico Francisco Alphonso, subjungit: *Verùm hujus controversiunculæ decisio in præsenti Nobis necessaria non est, quia do-*

ctrina

ctrina à Nobis stabilienda earum neutri innititur. En etiam ipse Connotatista Ayleworth, independenter ab identitate recti prædicati cum recto subjecti, defendenda suscipit connotata; & quod Nostri Connotatistæ Noviores volunt esse 1mum ac indubitatum principium, appellat controversiunculam. Idemquoque Tract. 2do Disp. 6. num. 6. supponit *vocem: Est, semper & essentialiter sibi insitum habere, ut propositionis prædicatum cum subjecto intentionaliter vel identificet, vel uniat Identificat,* inquit, *cùm ajo: Homo est animal rationale; unit, non identificat, cùm ajo: Paries est albus.* Et infrà num. 9. supponit *nihil de propositionis subjecto verbo: Est, prædicari posse, nisi quod subjecti recto aliquomodo unitur, unione nimirum vel identitatis, vel physicæ aut moralis connexionis, quia* (inquit) *ad propositionis veritatem requiritur, ut prædicatum subjecto ita conveniat, quemadmodum prædicatione ei convenire asseritur. Porro cùm ly: Est, sit copula & tantùm nexus, sufficit, quòd per illam prædicatum subjecto unitur, & copulatur, quia affirmare est aliquid subjecto tribuere, seu asserere illud subjecto convenire, eique identicè vel aliquo certo modo inesse.* 8vò. Anno 1731. [quo hæc scribo] die 3tia Februarii, hospes in Collegio Lublinensi, hisce oculis vidi & legi Manuscriptam Logicam, ante annos 42. traditam Leodii à R. P. Henrico Roberto Stephani Societatis JESU, cujus Auctoris nomen licèt præfati Operis fronti non sit appositum, hoc tamen edocent impressæ & ad calcem libri adjectæ Theses ejusdem Logicæ, ubi sic habetur in terminis: *Has conclusiones Præside R. P. Henrico Roberto Stephani Societatis JESU, Philosophiæ Professore defendit Guilelmus Mancel ejusdem Societatis, in Collegio Anglicano Leodii* 1689. Hic igitur Auctor in Dialectica Disp. 1ma de termino, sectione 2da de termino concreto & abstracto, num 15. negat objectam sibi,

tanquam

tanquam principium communiter receptum, hanc Majorem: *Omnis propositio est falsa, quando rectum prædicati distinguitur à recto subjecti*; citatisque in contra Aristotele, Vasquez, & Molina (quos suprà retuli) subjungit: *Ex his patet, quàm irrationabiliter Recentiores Nostri, urgente probationum inopia, postulent sibi concedi tanquam principium, quod ne quidem verum est.* 9nò. Iuxta plures Doctores concretum adjectivum v. g. ly: *Albus*, importat in recto formam, in obliquo subjectum, ita, ut propositionis v. g. hujus: *Petrus est albus*, sensus sit iste: *Petro informativè inest albedo, &c.* Ita D. Thomas in 1mum Distin. 18. Quæst. 1. Artc. 2. ad 3tium, ubi sic habet: *Subjectum non includitur in significatione nominis significantis accidens concretivè.* Eandem sententiam fusè & subtiliter defendit Scotus Quæst. 8. supra Prædicamenta. Fonseca l. 1. Metaph. c. 7. q. 5. §. 3. ubi dicit ab omnibus ferè reprehendi Avicennam, quòd oppositum docuerit. Eidem sententiæ subscripsit Esparza de virtutibus Theologicis Quæst. 14. Pag. 104. dicens: *In constitutione Sacramenti forma importatur in recto, & materia in obliquo.* Idem docent Conimbricenses, Complutenses, ac memoratus suprà R. P. Henricus Robertus Stephani in Dialectica Disp. 1. Sect. 2. num. 13. Ergo secundùm hos omnes, ad veritatem propositionis affirmativæ non requiritur identitas recti prædicati cum recto subjecti 10mò. His tandem accessit, velut gemma Coronæ, unus mihi pro mille, Doctissimus Auctor Dissertationis Philosophicæ de Connotatis & Constitutivis Denominationum tam Disp. 1ma num. 114. quàm Disp. 2da à num. 86. ad 90. inclusivè, & à num. 102. ad 104. inclusivè.

98. Ex allegatis 1mò. patet Connotatisticam illam propositionem, cui Recentiores Nostri Anticonstitutivistæ ultimò resolutoriè infundant suum

indicium

indicium discretivum constitutivi à connotato, non esse indubitatam apud omnes Philosophos & Theologos. 2dò. patet à potiori eandem propositionem non esse 1mum principium receptum ab omnibus. 3tiò. patet, quòd eadem illa propositio non ante aliquot solùm annos [ut post editam anno 1727. Dissertationem Philosophicam modò dictitant Oppositi] cæperit non haberi pro principio. His præjactis.

99. Probatur 1mò. Assertio. Nullum est fundamentum positivum asserendi, quòd ad omnem omnino propositionem veram affirmativam non disjunctivam requiratur adæquata identitas recti prædicati cùm recto subjecti, quod enim? Ergo &c. Certè veritatem prædictæ propositionis nec evincit inductio, nec ulla ratio à priori. Non inductio. Tum quia inductio ad summum probare potest veritatem hujus propositionis: *In propositione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati adæquatè identificatur recto subjecti*, non tamen hujus: *In omni propositione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti*, hæc enim altera propositio evincenda esset à priori. Tum quia in pluribus propositionibus veris affirmativis non disjunctivis rectum prædicati realiter distinguitur à recto subjecti, ut probationes sequentes declarabunt. Non evincit quoque eandem propositionem ulla ratio à priori, quæ enim? Et suis Auditoribus & Nobis ejusmodi rationem inviderunt Oppositi, semper contenti mera inculcatione propositionis præfatæ tanquam principii. Dices. Saltem ad aliquam propositionem requiritur adæquata identitas recti prædicati cum recto subjecti, quia saltem tunc requiritur prædicta identitas, quando hæc per propositionem enuntiatur, cùm universaliter ad veritatem propositionis requiratur ita se habentia objecti, sicut propositio

tio enuntiat, adeoque si enuntiet identitatem, hæc requiritur. Ergo & ad quamvis propositionem veram affirmativam non disjunctivam requiritur adæquata identitas recti prædicati cum recto subjecti, aliàs ly: *Est*, in quibusdam propositionibus denotaret identitatem, in aliis puram adhærentiam, ac proinde ly: *Est*, non haberet eandem significationem, sed illam immutaret. Ut igitur significatio ejus non immutetur, si in quibusdam denotat identitatem recti prædicati cum recto subjecti, eandem significationem retinere debet etiam in aliis propositionibus quibuscunque. Ergo non sine fundamento ad omnem omnino propositionem veram affirmativā non disjunctivam requiritur adæquata identitas recti prædicati cum recto subjecti. Respondeo hoc fundamentum nullum esse. Tum quia consequentia hujus argumenti est similis huic: *Ad esse alicujus entis requiritur actio productiva ac conservativa ipsius. Ergo ad esse omnis omnino entis requiritur actio productiva ac conservativa ipsius &c.* Hinc nego consequentiam. Tum quia nullum est in hoc inconveniens, quòd ly: *Est*, non eandem, sed variam, & interdum diversam habeat significationem, nam ly: *Est*, aliquando sumitur in vi verbi, ac significat idem, quod ly: *Existit*; aliquando sumitur in vi copulæ, ac est ipsa formalis enuntiatio prædicati de subjecto; aliquando idem significat, quod ly: *Comedit*; aliquando idem denotat, quod ly: *Habeo*; aliquando refertur ad laudem, aliquando ad vituperium, ut constat etiam Grammaticis ex Alvaro; aliquando denique significat meram concommitantiam aliquorum sibi non identificatorum, ut cùm dicitur & habetur pro principio physico: *Corruptio unius est generatio alterius, ac vicissim generatio unius est corruptio alterius &c.* Dices præterea. Omne rectum prædicati est verè affirmabile de recto subjecti. Ergo omne rectum prædicati adæquatè identificatur recto subjecti,

jecti, quia affirmabilitas unius de alio est passio & proprietas metaphysica identitatis. Ergo iterum non sine fundamento ad propositionem veram affirmativam non disjunctivam requiritur adæquata identitas recti prædicati cum recto subjecti. Respondeo etiam hoc fundamentum nullum esse. Tum quia falsum est assumptum hujus argumenti, nam ex declaratis num. 96. in hac v. g. propositione falsa: *Homo est animal hinnibile*, datur rectum hujus subjecti: *Homo*, & rectum hujus prædicati: *Animal hinnibile*, nec tamen rectum animalis hinnibilis est verè affirmabile de recto hominis. Tum quia etiam consequentia ejusdem argumenti non subsistit cum sua ratione ex dictis numero 75.

100. Probatur 2dò. Assertio. In hac v. g. propositione vera affirmativa non disjunctiva: *Sol est hodie serenus*, rectum prædicati objectivi non identificatur adæquatè recto subjecti objectivi, scilicet entitati solis. Ergo &c. Probatur Antecedens. Hoc prædicatum objectivum: *Serenus*, non identificatur adæquatè entitati solis, quia potest esse entitas solis, & tamen sol non esse serenus. Ergo & rectum hujus prædicati objectivi: *Serenus*, non identificatur adæquatè entitati solis, quia rectum hujus prædicati objectivi: *Serenus*, adæquatè identificatur eidem prædicato, universaliter enim ex declaratis num. 84. omne rectum denominationis aut rei adæquatè identificatur suæ denominationi aut rei; quod etiam à Connotatistis negari non potest, si enim juxta illos inter rectum prædicati & rectum subjecti debet esse adæquata identitas, à fortiori eadem debet esse inter rectum denominationis aut rei, & eandem denominationem aut rem.

101. Probatur 3tiò. Assertio. Sicut vera est hæc propositio: *Omnis homo Sanctus est homo*, ita vera quoque est, ac sine dubio affirmativa non disjunctiva, hæc propositio: *Petrus albus est Petrus*; nec

tamen

tamen objectivum hoc prædicatum: *Petrus*, adæquatè identificatur objectivo huic subjecto: *Petrus albus*, quia potest esse Petrus, nec tamen esse Petrus albus, seu unitus albedini, ac proinde & rectum ejusdem prædicati adæquatè identificatum ipsi non identificatur adæquatè recto subjecti. Ergo &c.

102. Probatur. 4tò. Assertio. In hac utique vera, affirmativa, ac non disjunctiva propositione: *Petrus adæquatè sumptus, inadæquatè est anima Petri*, rectum hujus prædicati: *Anima Petri*, non adæquatè sed solùm inadæquatè identificatur recto hujus subjecti: *Petrus adæquatè sumptus*, aliàs pars totius physici non distingueretur realiter inadæquatè à suo toto adæquatè accepto secundùm omnes simul suas partes essentiales. Ergo &c.

103. Probatur. 5tò. Assertio. Hæc propositio: *Hic homo natus ex MARIA VIRGINE est DEUS*, est propositio vera affirmativa non disjunctiva, in qua tamen rectum hujus prædicati: *DEUS*, non identificatur adæquatè recto hujus subjecti: *Hic homo natus ex MARIA VIRGINE*. Ergo &c. 1ma pars assumpti certa est omnibus, 2da probatur. Persona Divina non identificatur adæquatè naturæ humanæ natæ ex MARIA VIRGINE, ut certum est omnibus. Sed rectum hujus prædicati: *DEUS*, est Persona Divina, & rectum hujus subjecti: *Hic homo natus ex MARIA VIRGINE*, est natura humana, seu adæquata essentia hominis nata ex MARIA VIRGINE. Ergo &c. 1ma pars Minoris patet ex dictis num. 86. ac admittitur passim etiam ab Oppositis, ut constabit ex innuenda numero sequenti responsione eorundem, 2da pars ejusdem Minoris probatur, quia universaliter rectum hujus denominationis: *Homo*, est natura humana completa, composita ex anima rationali & corpore unitis sibi, ut declaratum est num. 84.

104. *Dicunt* passim Oppositi & plures alii,

quòd in prædicta propositione rectum subjecti sit potiùs Persona Divina terminans humanitatem natam ex MARIA VIRGINE, quæ Persona adæquatè identificatur DEO & sibi ipsi, quia prædicta inquiunt propositio facit sensum istum: *Persona Divina terminans humanitatem natam ex MARIA Virgine est DEUS, seu est Persona Divina terminans Divinitatem.* Contra est. Quod est rectum hominis nati ex MARIA Virgine, illud adæquatè identificatur homimi nato ex MARIA Virgine, quia ex insinuatis num. 100. universaliter rectum rei adæquatè identificatur rei. Sed Persona Divina terminans humanitatem natam ex MARIA Virgine non identificatur adæquatè homini nato ex MARIA Virgine, utpote illi solùm unita. Ergo Persona Divina terminans humanitatem natam ex MARIA Virgine non est rectum hominis nati ex MARIA Virgine, &c. Adverto diligenter, quòd hæc propositio: *Hic homo natus ex MARIA Virgine est DEUS*, cum hac propositione: *Persona Divina terminans humanitatem natam ex MARIA Virgine est DEUS*, sit eadem solùm quoad aliquod objectū significatū, scilicet quoad rectum prædicati, non tamen est eadem quoad omne objectum significatum. Tum quia 2da propositio per copulam: *Est*, significat adæquatam identitatem Personæ Divinæ cum DEO, 1ma verò propositio per copulam: *Est*, non significat adæquatam identitatem DEI cum homine (aliàs propositio verissima esset falsissima) sed unionem physicam DEI Verbi cum humanitate, facitque hunc præcisè sensum: *Hic homo natus ex MARIA Virgine, per unionem hypostaticam est DEUS*, seu unitur hypostaticè Personæ Divinæ, quæ est DEUS. Tum quia in propositione 1ma ex declaratis superiùs rectum hujus subjecti: *Hic homo natus ex MARIA Virgine*, est non Persona Divina, sed natura humana completa in ratione naturæ, jam autem in propositione 2da

ne 2da rectum ejusdem subjecti est Personalitas Verbi. Nec obest, si ut solet, dicatur quòd 1ma ex praedictis propositio faciat eundem sensum, quem 2da, aut quòd 1ma explicetur per 2dam. nam imprimis dictae propositiones non eundem omnino faciunt sensum, 1mae enim propositionis sensus est iste: *Hic homo natus ex MARIA Virgine, per unionem hypostaticam est DEUS*, 2dae verò propositionis sensus est hic: *Persona Divina terminans Humanitatem natam ex MARIA Virgine, per identitatem adaequatam est DEUS*. Deinde potest v. g. propositio A. facere eundem sensum, quem propositio B. ac explicari per propositionem B. & tamen non esse eadem omnino cum propositione B. quoad omne objectum significatum. Sic v. g. haec propositio: *Adamas est lapis possessus à Petro*, facit sensum eundem, quem propositio haec: *Petrus est homo possidens adamantem*, ac prima propositio optimè explicatur per 2dã; & tamen rectum subjecti in propositione 1ma est aliud à recto subjecti in propositione 2da, rectumq; praedicati in 1ma est aliud à recto praedicati in 2da, ut consentiunt etiam Connotatistae R. P. Radominski in Logica num. 634. R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 30. ad finem &c.

105. Probatur 6tò. Assertio. In hac vera affirmativa non disjunctiva propositione: *Haec eclipsis solis est haec interpositio lunae inter terram & solem*, rectum hujus praedicati: *Haec interpositio lunae inter terram & solem*, non identificatur adaequatè recto hujus subjecti: *Haec eclipsis solis*, quia in praedicta propositione non potest ostendi rectum praedicati adaequatè identificatum recto subjecti, quod enim? Dices, quod in praefata propositione rectum praedicati sit effectus interpositionis lunae inter terram & solem, qui effectus praedictae interpositionis adaequatè identificatur eclipsi solis, dicta siquidem propositio facit sensum istum: *Haec eclipsis solis est effe-*

ctus hujus interpositionis lunæ inter terram & solem. Contra est similiter ut numero superiori. Quod in prædicta propositione est rectum prædicati, illud est rectum interpositionis lunæ inter terram & solem, quia prædicatum dictæ propositionis est interpositio lunæ inter terram & solem, sicut prædicatum hujus v. g. propositionis: *Petrus est doctus* est ly: *Doctus &c.* Sed effectus interpositionis lunæ inter terram & solem non est rectum interpositionis lunæ inter terram & solem. Ergo &c. Probatur Minor. Quod est rectum interpositionis lunæ inter terram & solem, illud adæquatè identificatur interpositioni lunæ inter terram & solem, quia universaliter ex insinuatis num. 100. rectum rei adæquatè identificatur rei. Sed effectus interpositionis lunæ inter terram & solem non identificatur adæquatè interpositioni lunæ inter terram & solem, quia effectus causæ extrinsecæ non identificatur adæquatè suæ causæ extrinsecæ. Ergo &c. Restat igitur, ut ex insinuatis num. 95. rectum interpositionis præfatæ sit collocatio lunæ in cælo inferiori ex adverso solis existentis in cælo superiori.

106. Probatur denique Assertio 7mò. tali argumento ad hominem. Stante doctrina Connotatistica, in hac vera affirmativa non disjunctiva propositione: *Petrus est hic homo*, rectum prædicati non debet adæquatè identificari recto subjecti. Ergo etiam in sententia Opposita non in omni propositione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti. Probatur Antecedens. Iuxta Connotatistas in prædicta propositione aliquod rectum prædicati distinguitur realiter adæquatè ab aliquo recto subjecti, & aliquod rectum prædicati distinguitur realiter inadæquatè ab aliquo recto subjecti. Ergo stante doctrina Connotatistica in prædicta propositione rectum prædicati non debet adæquatè identificari recto subjecti

Probatur immediatum assumptum per partes.

107 *1ma pars assumpti* probatur. Anima rationalis distinguitur realiter adæquatè à corpore, ut certum est omnibus. Ergo juxta Connotatistas aliquod rectum prædicati distinguitur realiter adæquatè ab aliquo recto subjecti in prædicta propositione. Probatur Consequentia. Iuxta Connotatistas anima rationalis est aliquod rectum prædicati, & corpus est aliquod rectum subjecti in prædicta propositione. Ergo si &c. Probatur Antecedens, Iuxta Connotatistas anima rationalis est aliquod rectum hominis, & corpus est aliquod rectum Petri. Ergo juxta Connotatistas anima rationalis est aliquod rectum prædicati, & corpus est aliquod rectum subjecti in prædicta propositione. Consequentia patet, quia in propositione dicta homo est prædicatum & Petrus est subjectum, ut patet. Antecedens probatur. Iuxta Connotatistas anima rationalis est rectum inadæquatum hominis, & corpus est rectum inadæquatum Petri. Ergo juxta Connotatistas anima rationalis est aliquod rectum hominis, & corpus est aliquod rectum Petri. Consequentia patet, quia certè rectum inadæquatum rei est aliquod rectum, sicut constitutivum inadæquatum rei est aliquod constitutivum &c. Antecedens probatur. Anima rationalis est constitutivum inadæquatum hominis, & corpus est constitutivum inadæquatum Petri, ut est extra dubium. Ergo juxta Connotatistas anima rationalis est rectum inadæquatum hominis, & corpus humanum est rectum inadæquatum Petri, quia juxta Connotatistas omne constitutivum inadæquatum rei, est & esse debet rectum inadæquatum rei, ut declaro ita. Omne constitutivum rei juxta Connotatistas est rectum objectivum rei, quia juxta illos constitutivum est requisitum essentiale rei, quod in recta explicatione ejusdem rei importatur in recto, ut patet ex relatis numero 63,

Ergo & constitutivū inadæquatum rei est rectum objectivum rei. Ergo constitutivum inadæquatum rei est vel adæquatū vel inadæquatum rectum rei. Atqui constitutivum inadæquatum rei, non est rectum adæquatum rei, quia rectum adæquatum rei juxta Connotatistas est se solo affirmabile de re per casum rectum, jam autem constitutivum inadæquatum rei juxta illos non est se solo affirmabile de eadem re per casum rectum, ut non diffitetur etiam R. P. Domaradzki in sua Logica num. 576. ubi inquit: *Anima v. g. Petri non est affirmabilis in recto de Petro in hac propositione: Petrus est anima, est tamen affirmabilis in hac: Petrus est anima & corpus unita secum*, consentitque R. P. Tuchołka citatus num. 67. &c. &c. Ergo constitutivum inadæquatum rei juxta Connotatistas est rectum inadæquatum rei. Utique non aliquod tantùm. Ergo omne.

108. *2da pars ejusdem assumpti* probatur. Anima rationalis & corpus unita secum, simul sūpta, realiter inadæquatè distinguuntur à corpore unito animæ rationali, ut certum est Connotatistis & mihi. Ergo juxta Connotatistas aliquod rectum prædicati realiter inadæquatè distinguitur ab aliquo recto subjecti in prædicta propositione. Probatur consequentia. Juxta Connotatistas anima rationalis & corpus unita secum, simul sumpta, sunt aliquod rectum prædicati, scilicet hominis, & corpus unitum animæ rationali est aliquod rectum subjecti, scilicet Petri, in prædicta propositione. Ergo si &c. 2da pars immediati Antecedentis patet ex declaratis numero superiore, ubi probatum est, quòd corpus juxta Connotatistas sit rectum inadæquatum Petri. 1ma pars Antecedentis probatur. Iuxta Connotatistas anima rationalis & corpus unita secum, simul sumpta, sunt adæquatum rectum hominis. Ergo sunt aliquod rectum hominis. Probatur Antecedens. Iuxta Connotatistas anima rationalis & corpus unita secum, verè per casum rectum sunt prædicabilia

de homi-

de homine sine ullo alio, ut patet in hac juxta omnes Connotatistas verissima propositione: *Petrus est anima & corpus unita secum*. Ergo anima rationalis & corpus unita secum, sunt rectum adæquatum hominis, quia secundùm illos rectum adæquatum rei est, quod se solo, verè per casum rectum de eadem re affirmabile est. Ergo anima rationalis & corpus unita secum, vel collectivè sumpta vel distributivè accepta sunt rectum adæquatum hominis. Atqui non distributivè accepta; quia anima rationalis & corpus unita secum, distributivè accepta, sicut sunt inadæquatum constitutivum hominis, ita quoque sunt inadæquatum rectum hominis juxta Connotatistas. Ergo anima rationalis & corpus unita secum, collectivè seu simul sumpta, sunt rectum adæquatum hominis.

109. Ad confirmationem probationis suprà datæ adverto 1*mò*; quòd illa valeat non solùm ad hominem in sententia Oppositorum, sed etiam simpliciter & absolutè in sententia omnium Catholicorum, quia in hac propositione: *Christus est Filius DEI naturalis*, rectum prædicati realiter distinguitur ab aliquo recto subjecti, ut probo. Personalitas Verbi realiter distinguitur ab esse hominis identicè inclusi in hoc toto hypostatico: *Christus*. Ergo in propositione dicta rectum prædicati realiter distinguitur ab aliquo recto subjecti. Antecedens est certum; Consequentia probatur. Ex una parte Personalitas Verbi est rectum hujus prædicati: *Filius DEI naturalis*, ut est extra dubium. Ex altera parte esse hominis identicè inclusi in hoc toto hypostatico: *Christus*, est rectum hujus prædicati: *Christus*, quia esse hominis identicè inclusi in præfato toto hypostatico, verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari potest de Christo, nam sicut de fide vera est hæc propositio: *Christus est DEUS*, ita quoque de fide vera est etiam hæc: *Christus est ho-*

mo; ac sicut in 1ma propositione esse DEI, ita in 2da esse hominis identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmatur de Christo. &c. Ergo Si Personalitas &c. Adverto 2dò. Connotatistæ nec adæquatum, nec inadæquatum rectum rei negare possunt. Tum quia ex deductis num. 107. juxta Connotatistas omne constitutivum inadæquatum rei, est & esse debet rectum inadæquatum rei. Tum quia essentia adæquata rei est rectum adæquatum rei, quia essentia adæquata rei est verè per casum rectum affirmabilis de eadem re. Ergo in principiis Connotatisticis essentia adæquata rei est rectum rei. Ergo est vel adæquatum vel inadæquatum rectum rei. Atqui non inadæquatum; quia essentia adæquata rei, cum alio non est verè per casum rectum affirmabilis de eadem re. Ergo essentia adæquata rei est adæquatum rectum rei. Tum quia juxta R. P. Domaradzki in Logica num. 577. *Rectum ut sic est denominationis constitutivum sive adæquatum sive inadæquatum*. Ubi hic ipse terminus: *Rectum ut sic*, supponit aliud esse rectum adæquatum, aliud inadæquatum, quia in sententia Oppositorum non possunt esse aliæ (quæ enim?) species recti ut sic, nisi rectum adæquatum & inadæquatum. Item juxta R. P. Kobielski in Physica num. 12. *Rectum objectivum aliud est, quod se solo, seu sine alio est affirmabile (& hoc etiam rectum adæquatum dicitur) quale rectum est Petrus in hac propositione: Hic homo est Petrus; aliud, saltem cum alio est affirmabile (& hoc etiam rectum inadæquatum dicitur] quale rectum est anima in hac propositione: Homo est anima & corpus unita sibi.* Et juxta eundem in eadem Physica num. 85. *Cùm rectum inadæquatum sumitur cum alio recto inadæquato, ex duobus rectis coalescit rectum adæquatum.* Denique (ut mittam alios) juxta R. P. Tuchołka in Logica num. 269. sub ly: *Præsciendum 2dò. Rectum Philosophicum est*

duplex,

duplex, aliud adæquatum aliud inadæquatum &c. Ergo à Connotatiſtis nec adæquatum, nec inadæquatum, rectum rei negari poteſt. Hinc.

110. Dices forte, & ſic diſtingues 1mum num. 106. argumentum. In hac propoſitione: *Petrus eſt hic homo*, rectum prædicati inadæquatum non debet adæquatè identificari recto ſubjecti inadæquato, concedes. Rectum prædicati adæquatum non debet adæquatè identificari recto ſubiecti adæquato, negabis. Ergo non in omni propoſitione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati inadæquatum debet adæquatè identificari recto ſubjecti inadæquato, concedes. Ergo non in omni propoſitione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati adæquatum debet adæquatè identificari recto ſubjecti adæquato, negabis. Contra eſt 1*mò*. Iuxta hanc reſponſionem, in propoſitione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati adæquatum debet adæquatè identificari recto adæquato ſubjecti, rectum tamen prædicati inadæquatum non debet adæquatè identificari recto ſubjecti inadæquato. Ergo hæc illimitatè prolata Connotatiſtarum propoſitio : *Rectum prædicati debet adæquatè identificari recto ſubjecti in omni propoſitione vera affirmativa non disiunctiva*, non ſubſiſtit. 2*dò*. Non in omni propoſitione vera affirmativa non disiunctiva rectum prædicati etiam adæquatum debet adæquatè identificari recto ſubjecti adæquato, ut patet ex probatis ſuprà num 103. & 105. Ergo diſtinctio non ſubſiſtit. Quare ſic potiùs limitandum eſſe videtur dictum quaſi principium : *Rectum prædicati debet adæquatè identificari recto ſubjecti in omni propoſitione verè & identicè ſimpliciter affirmante aliquid de aliquo purè creato, aut purè Divino.*

111. Dico 2*dò*. Subjectum hujus propoſitionis *Quo per poſſibile vel impoſſibile quomodocunq; ablato, & omnibus aliis ab illo realiter adæquatè ſive certò, ſive pro-*

ve probabiliter distinctis, per possibile vel impossibile manentibus, tollitur res, illud est constitutivum rei, hujus inquam popositionis subjectum est rectissimum indicium constitutivi Antonomasticè talis. In hoc indicio constitutivi suppono 1*mò*, quòd aliqua etiam ex constitutivis tolli sit possibile, aliqua verò tolli sit impossibile. Sic possibile est tolli v. g. animam Petri, quæ constituit binarium ex DEO & anima Petri, DEUM verò tolli, seu perire est impossibile, qui tamen DEUS constituit prædictum binarium, ideoque dicitur: *Quo per possibile vel impossibile*. Suppono 2*dò*, quòd quomodocunque tolli aliquid, sit tolli aliquid sive è numero rerum existentium, sive è numero rerum etiam possibilium, sive secundùm omnes simul partes illius, sive secundùm quamcunque demum etiam solam partem ejusdem, si res est composita ex partibus. Dicitur itaque: *Quo quomodocunque ablato*, quia aliàs indicium constitutivi non completum per ly: *Quomodocunque* in sensu jam explicato, competeret toti respectu suæ partis, ut facilè patere potest reflectenti tum ad terminos, tum ad dicenda numero sequenti. Suppono 3*tiò* quòd aliqua entia certò, aliqua solùm probabiliter distinguantur à se realiter adæquatè. Sic certum est, quòd v. g. corpus ab anima rationali, DEUS ab homine puro, Petrus à Paulo distinguatur realiter adæquatè; solùm verò probabile est, quòd v. g. creatio animæ rationalis ab anima rationali distinguatur realiter adæquatè. Item non certò, sed probabiliter solùm juxta R. P. Adrianum Miaskowski de DEO Disp. 6. Quæst. 1. Punct. 1. §. 1. numero 7. & juxta R. P. Ioannem Gzowski in Manuscriptis de DEO num. 422. ac juxta plures alios Filiatio à Paternitate in Divinis distinguitur realiter adæquatè &c. Dicitur itaque: *Et omnibus aliis ab illo realiter adæquatè, sive certò, sive probabiliter distinctis manentibus*;

quia

quia aliàs indicium Constitutivi non completum per hos terminos; *sive certò, sive probabiliter*, competeret etiam Paternitati Divinæ respectu Filiationis, ut facilè patere potest reflectenti ad dicenda numero sequenti. His suppositis.

112. Probatur Assertio, quia subjectum dictæ propositionis est complexum seu aggregatum terminorum, non quidem definitivum constitutivi Antonomasticè talis (cùm careat genere proximo ac differentiâ ultimâ dicti constitutivi) aliunde tamen notius Nobis, (ut patet ex terminis, & per omnem paritatem à Connotatistico indicio constitutivi) ex quo colligi & legitimè inferri potest, quòd aliquid sit constitutivum rei Antonomasticè tale, nam subjectum dictæ propositionis convenit omni & soli constitutivo Antonomasticè tali *Convenit omni*; cui enim non? Certè per possibile ablata quomodocunque anima rationali, & omnibus aliis ab illa realiter adæquatè sive certò sive probabiliter distinctis manentibus tollitur homo, ut etiam Connotatistis nullum est dubium. Idem dicendum de corpore humano sumpto secundùm illas partes suas primigenias, quæ sunt inamissibiles ab homine, nisi simul instantaneè pereat vita hominis, & de quibuscunque aliis constitutivis rerum. *Convenit quoque soli*; cui enim præterea? Certè 1*mò* dictum subjectum non convenit toti comparato ad suam partem, v. g. composito humano comparato ad suam animam; quia licèt ablato aliquomodo composito humano, scilicet ablato secundùm omnes suas simul sumptas partes, & omnibus aliis ab illo realiter adæquatè sive certò sive probabiliter distinctis, per possibile vel impossibile manentibus, tollatur anima, tamen non quomodocunque ablato eodem composito, & aliis omnibus &c. manentibus, tollitur anima, siquidem ablato unicè secundùm materiam composito humano utique non tol-

leretur

leretur anima. 2dò. Idem subjectum dictæ propositionis non convenit connotato purè extrinseco comparato ad suum ens connotans, v. g. non convenit Paternitati Divinæ comparatæ ad creaturam: quia ablata per impossibile quomodocunq; Paternitate Divina, & omnibus aliis ab illa realiter adæquatè sive certò sive probabiliter distinctis, per possibile vel īpossibile manentibus (v.g. manentibus ōnibus creaturis puris, quæ certò distinguuntur realiter adæquatè à Paternitate Divina, & manente Filiatione ac Spiratione passiva, quæ juxta insinuata numero superiore probabiliter distinguuntur realiter adæquatè ab eadem Paternitate) non tollitur creatura, aliàs & omnia alia à Paternitate realiter adæquatè distincta manerent, ut supponitur, & aliquid aliud à Paternitate realiter adæquatè distinctum non maneret, siquidem tolleretur etiam creatura, utiq; realiter adæquatè distincta à Paternitate Divina. 3tiò Idem subjectum propositionis ejusdem non convenit binario ex DEO & anima rationali, non constitutivo hominis; falsum enim est, quòd ablato quomodocunq; dicto binario tolleretur homo, siquidem ablato prædicto binario secundùm solam hanc illius partem, quæ est DEUS, seu (quod idem est) ablato solùm ipso DEO, aut ablato DEO, & (ut communiùs explicant Connotatistæ exclusivum hunc terminum: *Solum*) non ablato ullo alio præter DEUM maneret & anima rationalis, & corpus hominis, & unio eorundem extremorum, ac proinde maneret omnis pars hominis, consequenter non tolleretur homo. Maneret in prædicta suppositione anima rationalis; aliàs & nihil aliud præter DEUM auferretur, ut supponitur, & aliquid aliud præter DEUM auferretur, quia auferretur anima rationalis, quæ est aliquid, seu aliud quid præter DEUM. Maneret quoq; corpus hominis, & unio animæ rationalis cum corpore in eadem suppositione

prædicta

prædicta, tum ex eadem ut immediatè suprà ratione, tum ex eo, quia corpus hominis & unio animæ rationalis cum corpore, includitur in numero omnium realiter adæquatè distinctorum tam à DEO, quàm à binario ex DEO & anima rationali, quæ omnia alia realiter adæquatè distincta tam à DEO, quám à prædicto binario, in nostro constitutivi indicio supponuntur per impossibile manere ablato DEO. 4*tò*. Idem subjectum nostræ propositionis non convenit Paternitati Divinæ, juxta omnes non constituenti Filiationem; quia licèt ablata quomodocunque Paternitate, & omnibus aliis ab illa realiter adæquatè distinctis certò talibus [scilicet creaturis puris] per impossibile manentibus, tolleretur Filiatio, ablata tamen quomodocunque Paternitate, & omnibus aliis ab illa realiter adæquatè distinctis, probabiliter talibus manentibus, ac proinde manente Filiatione & Spiratione passiva [quæ ex insinuatis numero superiore probabiliter sunt realiter adæquatè distinctæ à Paternitate]; non tolleretur Filiatio &c.

113. Sic declarato nostro indicio, evanescunt plures subtilitates, quibus à Connotatistis impugnari solet aut potest illud plerisque è Nostris persuasum constitutivi indicium: *Quo solo &c.* Dici potest preterea 1*mò*. Assertum constitutivi indicium non competit ita se habentiæ objecti, quæ juxta Anticonnotatistas constituit veritatem formalem propositionis, quia ablatâ ita se habentiâ objecti, & aliis omnibus &c. manentibus, potest manere veritas formalis propositionis, ut probatur. Hæc v. g. propositio: *Aliquis homo currit*, in instanti A. vera currente Petro & Paulo, si duret per plura instantia, Petrus verò desinat currere, & Paulus currere non desinat, erit vera, quia prædicta propositio sufficienter verificaretur per cursum Pauli, cùm juxta Dialecticam ad verificandam propositionem disjun-

ctivam

ctivam (qualis est suprà dicta) sufficiat veritas etiam unius nonnisi partis Ergo &c. 2dò. Idem indicium non competit constitutivo actu componenti totum. Tum quia constitutivum non potest auferri, cùm actu v. g. in instanti A. componit totum, aliàs & componeret actu, & non componeret. Tum quia ex asserto indicio solùm sequitur aliquid fuisse, non verò esse actu constitutivum rei, quia cùm aufertur constitutivum rei, non est, sed tantùm fuit constitutivum. 3tiò. Idem indicium præjudicat sententiæ probabili neganti unionem essentialem animæ cum corpore esse constitutivum hominis Ergo non est rectum. Respondeo. *Ad 1mum.* Retorqueo argumentum Hæc definitio Connotatistica: *Connotatum strictè tale, est requisitum essentiale rei, non constitutivum ejusdem rei, quo solo ablato perit eadem res*, non competit ita se habentiæ objecti, quæ juxta Anticonstitutivistas est connotatum veritatis formalis, quia solâ ablatâ ita se habentiâ objecti potest manere veritas formalis hujus propositionis: *Aliquis homo currit*, ut probatum. Ergo prædicta definitio non competit alicui connotato, ac proinde non est recta. Directè nego assumptum cum sua ratione. Ulteriori probationi transito Antecedente distinguo consequens. Ergo ablatâ ita se habentiâ objecti non requisitâ essentialiter ad veritatem formalem hujus propositionis: *Aliquis homo currit*, potest manere veritas formalis ejusdem propositionis, concedo. Ergo ablatâ ita se habentiâ objecti requisitâ essentialiter ad veritatem formalem prædictæ propositionis, potest manere veritas formalis ejusdem propositionis, nego consequentiam, & dico, quòd cursus Petri, ac cujuscunque alterius determinati hominis, est quidem ita se habentia objecti, prout enuntiat hæc propositio: *Aliquis homo currit*, non tamen requiritur essentialiter ad veritatem dictæ propositionis, (quia potest

vera esse propositio ista: *Aliquis homo currit*, quãvis non detur cursus Petri) ac proinde nec constituit veritatem formalem ejusdem propositionis. Quare ad veritatem dictæ propositionis essentialiter requiritur ac eandẽ constituit solùm cursus alicujus indeterminati ex parte objecti hominis. Transivi Antecedens probationis, quia etiã dato non concesso, quòd formalis veritas hujus propositionis: *Aliquis homo currit*, currente Petro & Paulo in instanti A. constituatur cursu Petri, si instanti subsequente desinat esse cursus Petri, cursus autem Pauli esse non desinat, propositio dicta esset vera non per eandem adæquatè, sed per eandem inadæquatè veritatem, siquidem in instanti A. constitueretur cursu tam Petri, quàm etiam Pauli, jam verò in instantibus sequentibus constitueretur solùm cursu Pauli. *Ad 2dum.* Retorqueo argumentum, & quòd memorata superiùs definitio connotati non competat connotato illi, quod actu connotatur ab aliquo, similibus probo rationibus. Tum quia connotatum non potest auferri, cùm actu v. g. in instanti A. connotatur ab aliquo, aliàs & connotaretur, & non connotaretur. Tum quia ex afferta definitione solùm sequitur aliquid fuisse, non verò esse connotatum, quia cùm aufertur connotatum rei, non est, sed tantùm fuit connotatum. Directè nego assumptum. 1mæ in contra rationi nego iterum assumptum cum sua ulteriori ratione, quia certè v. g. unio per hoc, quòd actu constituat hominem aut saltem hoc concretum: *Anima rationalis unita corpori*, non evadit inauferibilis, ac proinde potest auferri, etiam cùm actu constituit hominem, aut saltem concretum memoratum. Dato etiam non concesso opposito, quid tum? Ergo indicium nostrum non competit constitutivo actu componenti totum, nego consequentiam, cujus nullitas patet etiam ex retorsione suprà data. 2dæ rationi nego

itidem assumptum, quod sua ratio non infert, ut patet reflectenti ad retorsionem. *Ad 3tium.* Retorqueo argumentum de Connotatistico indicio, quod pariter praejudicat sententiae affirmanti etiam id constitutivum esse, quod importatur in obliquo, non in recto alicujus denominationis aut rei. Directè transito assumpto nego consequentiam, quia licèt Dialectica praescribat, nè definitio ulla, consequenter & definitio constitutivi praejudicet ulli sententiae constanter probabili, non praescribit tamen ulla lex Dialectica, né indicium constitutivi praejudicet cuiquam sententiae, aliàs nec ullum aliud nec Connotatisticum indicium constitutivi esset rectum, cùm omne constitutivi indicium purè probabile praejudicet oppositae sententiae probabili; & tamdiu praejudicare debet, quamdiu una ex oppositis sententia probabilis esse non desinet, ac consequenter, quamdiu unum ex oppositis indicium quoad nos certum esse non incipiet.

§. 4tus.
Quid sit, & quotuplex sit Connotatum?

114. QUÆRITUR 1mò. quid sit connotatum? Respondeo. Connotatum (ut consentiunt etiam Connotatistae) ex vi vocis est id, quod quasi cum alio notatur & significatur, adeoq; connotatur, & consignificatur. Sic per ens creatum connotatur Creator &c. Licèt verò haec ex notatione nominis descriptio connotati non soli conveniat connotato, utpote conveniens etiam parti totius, id tamen non obest, quia descriptio rei petita ex notatione nominis non debet convenire

soli,

soli, ut patet reflectenti ad has classicas descriptiones: *Iupiter est juvans Pater, homo est ex humo &c.* Quoad rem & definitivè connotatum universalissimè sumptum est ens, ad quod aliud ens ab ipso realiter adæquatè distinctum, in aliquo suo conceptu dicit aliquam habitudinem seu relationem. Sic Creator est connotatum creaturæ, quia creatura est ens, ad quod creatura realiter adæquatè distincta à Creatore dicit habitudinem seu relationem effectûs ad causam. Sic etiam creatura est connotatum Creatoris, quia creatura est ens, ad quod creator realiter adæquatè distinctus à creatura, dicit habitudinem seu relationem causæ ad effectum. Et sic de aliis quibuscunque connotatis extra controversiam talibus. Additur: *Realiter adæquatè distinctum*; his enim demptis terminis definitio connotati competeret etiam parti totius physici comparatæ ad suum totum, siquidem pars totius physici est id, ad quod aliud, scilicet totum physicum, in aliquo suo conceptu dicit habitudinem seu relationem, cùm universaliter omne includens dicat relationem ad inclusum, & vicissim inclusum ad includens. Nec solùm à Nobis, sed etiam ab Archiconnotatista Doctissimo R. P. Ioanne Gzowski in definitione connotati strictè talis ut sic prædicti termini adduntur. Tum quia juxta illum in Logica num. 804. ex communi vel saltem plurium sensu, non refutato ab eodem: *Connotatum strictè tale est entitas, quæ secundùm seipsam requiritur ad esse rei à se adæquatè distincta*; atque sic definitum connotatum præfatum dividit ille n. 805, & 806. in aliud, quo solo ablato res non perit, & aliud Antonomasticè tale, quo etiam solo ablato res perit. Tum quia idem in eadem Logica num. 808. sic concludit: *Dico imò. Constitutivum intrinsecum alicujus rei vel denominationis definitivè est illud, quod secundùm totam suam entitatem est identicum realiter ei-*

dem rei vel denominationi. E contra connotatum strictè tale definitivè est illud, quod ad aliquam rem adæquatè à se distinctam essentialiter requiritur, ita ut per possibile vel impossibile illo ablato pereat seu non maneat eadem res. Ac infra num. 811. dicit: *Conveniunt in hoc connotatum & constitutivum, quòd tam hoc quàm illud requiratur essentialiter ad eandem rem, ita, ut nec divinitus res possit esse sine illis; in hoc verò differunt à se, quia constitutivum secundùm totam suam entitatem est aliquid identificatum eidem rei, jam verò connotatum alicujus rei est realiter adæquatè distinctum ab eadem re &c.* Probatur definitio nostra, quia convenit omni, soli & semper connotato possibili, nec ullo laborat vitio lege Dialectica prohibito, quo enim?

115. Dices Prædicta definitio præjudicat sententiæ docenti connotatum Antonomasticum aliud esse adæquatè, aliud inadæquate distinctū à re connotante. Ergo præjudicat sententiæ probabili. Ergo est vitiosa. Respondeo retorquendo argumentum de Archiconnotatistica definitione connotati relata numero superiore. Directè concedo Antecedens, nego consequentiam; quamvis enim non negem, saltem ab extrinseco probabilem esse sententiam, quæ asserit dari connotata Antonomastica realiter adæquatè distincta à re connotante, ut defenditur ab aliquibus Philosophis & Theologis Classicis, nego tamen probabilem esse Noviorum Connotatistarum sententiam, quæ peculiariter docet dari connotata realiter inadæquatè distincta à re connotante. Certè hi Connotatistæ Nostri nullum citant, nec fortè citare possunt Auctorem Classicum, qui doceat totum physicum esse Antonomasticum connotatum suæ partis actualis quà talis, ut ab omnibus Novioribus Connotatistis asseritur. Ergo id non est ab extrinseco probabile. Non est quoque idem

probabi-

probabile ab intrinseco, quia hoc illorum assertum nulla nititur ratione gravi, &c.

116. Quæritur 2dò. quotuplex est connotatum? Respondeo. Connotatum suprà definitum aliud est requisitum ad esse rei, aliud non requisitum ad esse rei. 1mũ est connotatum, sine quo res ex se ab intrinseco esse non potest. Tale connotatum creaturæ est DEUS, modi modificatum, ignis applicati ustio, &c. 2dum est connotatum, sine quo res ex se ab intrinseco esse potest Tale connotatum est existentia respectu negationis existentiæ, quia existentia est realiter adæquatè distincta à negatione existentiæ, & negatio existentiæ dicit relationem ad existentiam, ac eadem negatio existentiæ ex se ab intrinseco esse potest sine existentia, sicut & existentia potest esse sine negatione existentiæ. Sic etiam unum contrariorum connotat aliud, v. g. frigus connotat calorem &c. Rursus connotatum requisitum ad esse rei juxta communiorem etiam Connotatistarum sensum, aliud est moraliter, aliud physicè, aliud metaphysicè seu essentialiter requisitum. 1mum est connotatum, sine quo res ex se ab intrinseco potest esse etiam naturaliter, juxta prudentem tamen æstimationem esse non potest. Tale connotatum Matris est amor prolis, Mater enim ex inclinatione naturali secundùm æstimationem prudentûm non potest non amare suam prolem, ac proinde non potest esse sine amore ejusdem. 2dum est connotatum, sine quo res ex se ab intrinseco naturaliter esse non potest. Tale connotatum ignis applicati est ustio, quia ignis debitè applicatus subjecto proximè ustibili naturaliter non potest esse sine ustione &c. 3tium est connotatum, sine quo res ex se ab intrinseco nullo modo esse potest etiam per absolutam DEI potentiam. Tale connotatum creaturæ est DEUS, modi modificatum &c. Hactenus divisum est connotatum in membra talia, quorum & possibilitas &

existentia est extra controversiam, quia sine ullo dubio & possibilia sunt & dantur connotata tum non requisita, tum requisita vel moraliter, vel physicè vel metaphysicè ad esse rei, prout præcisè dictis à me terminis circumscribuntur, ac ut talia admittuntur ab omnibus. Iam Connotatisticas definitiones & divisiones connotati videamus.

117. Quæritur 3tiò. quid sit connotatum juxta Connotatistas? Respondeo. 1mò. Iuxta R. P. Ioannem Gzowki in Logica num. 804. *Connotatum universalissimè sumptum est purum requisitum ad esse rei, seu quod tantùm est requisitum & non constitutivum rei.* Hoc inquit *connotatum aliud est latissimè tale, quod non secundùm seipsum, sed secundùm cognitionem sui requiritur ad aliud cognoscendum, ut sensationes ad animal &c. aliud strictè tale, quod est entitas, quæ secundùm seipsam requiritur ad esse rei à se adæquatè distincta.* Non rectè. Tum quia definitio connotati universalissimè sumpti non convenit connotato non requisito ad esse rei, certè enim connotatum non requisitum ad esse rei non est requisitum ad esse rei, ut patet. Porro tale connotatum non requisitum ad esse rei ex declaratis numero superiore est negatio existentiæ respectu existentiæ, frigus respectu caloris, & quæcunque alia relata relatione oppositionis contrariæ vel contradictoriæ. Tum quia sensationes, saltem ut producibiles, etiam secundùm seipsas requiruntur ad animal, hoc enim definitur per ordinem ad sensationes ut producibiles, animal siquidem communiter definitur esse vivens productivum sensationum. Ergo definitio connotati latissimè talis non bene exemplificatur in sensationibus. Tum quia definitio connotati strictè talis non omni competit connotato strictè tali, quia secundùm Connotatistas potest aliquod connotatum strictè tale secundùm seipsum requiri ad esse rei, à se solùm inadæquatè di-

distinctæ

stinctæ, ut patet in toto physico comparato ad suam partem actualem quà talem, quod totum juxta eundem R. P. Gzowski & secundùm suos Sequaces, est connotatum partis actualis strictè Antonomasticè tale, diciturque intrinsecum à R. P. Gzowski in sua Logica num. 880. jam verò à suis Sectatoribus passim vocitatur semiextrinsecum, & tamen nec totum ullum à sua parte actuali, nec pars actualis à suo toto adæquatè distinguitur. 2dò. Iuxta R. P. Radominski, connotatum est requisitum essentiale, quod non est constitutivum rei, quia juxta illum in Logica num. 551. *Per connotatum intelligitur essentiale requisitum, quod non est constitutivum rei.* Non rectè, quia & hæc definitio non convenit connotato non requisito ad esse rei, &c. ut suprà; imò non convenit etiam connotato physico, seu naturaliter solùm requisito ad esse rei. 3tiò. Iuxta R. P. Tucholka in Logica Disput. 3. Quæst. 3 ab initio: *Connotatum universalissimè sumptum est purum requisitum ad esse denominationis, vel rei alicujus, seu requisitum contradistinctum à constitutivo.* Etiam hæc explicatio connotati universalissimè sumpti, non convenit connotato irrequisito ad esse rei &c.

118. Quæritur denique, quotuplex sit connotatum juxta Connotatistas? Respondeo. Iuxta R. P. Gzowski in Logica num. 805. & 806. per Connotatistas: *Connotatum strictè tale* (definitū superiùs) *aliud est, quo solo ablato res non perit, aliud est Antonomasticè tale, quo etiam solo ablato res perit.* Similiter juxta R. P. Radominski in Logica num. 552. *Connotatum aliud est, quo, sed non solo ablato perit res, aliud quo solo ablato perit res, & tamen non est constitutivum rei;* 1mumque ex his connotatum exemplificat in actione conservativa hominis & DEO. Non rectè, quia (ut mittam hìc & tunc alia mox subjicienda) non est ostendibile à Connotatistis ullum

ullum connotatum strictè-tale, quod secundùm ipsos non sit ejusmodi, ut illo solo ablato res pereat, quod enim? Certè secundum illos solo ablato DEO, solaque ablata actione conservativa hominis perit homo; ac juxta R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 11. *Universaliter omne connotatum & requisitum essentiale alicujus rei est tale, ut illo etiam solo ablato pereat seu non maneat eadem res &c.* Idem asserit & probat etiam R. P. Radominski in Logica num. 586.

119. Iuxta R. P. Domaradzki in Logica num. 556. *Connotatum strictè tale definitur esse requisitum essentiale aliùs rei, quo solo ablato perit eadem res, neque tamen est constitutivum illius*, probatque hanc definitionem ibidem.; ac juxta eundem in Compendio Connotatorum num. 1. *Connotatum strictè tale est requisitum essentiale non constitutivum aliùs rei, quo solo ablato perit eadem res.* Ita quoque in iisdem omnino terminis R. P. Kobielski in Physica num. 96. Non rectè; quia 1mò. Non est recta Logicè hæc definitio: *Constitutivum strictè tale est requisitum essentiale rei, quo solo ablato perit eadem res, nec tamen est connotatum illius.* Ergo etiam non est recta Logicè hæc definitio: *Connotatum strictè tale est requisitum essentiale rei, quo solo ablato perit eadem res, nec tamen est constitutivum illius*, nam universaliter quando aliqua species opposita alteri sibi correlativæ potest aliter definiri quàm per negationem speciei oppositæ, tunc in definitione ejusdem ineptè ponitur negatio speciei oppositæ, ut patet in his v. g. definitionibus: *Homo est animal, quod non est brutum. Brutum est animal, quod non est homo &c.* 2dò. In præfatis definitionibus, supposità doctrinâ Connotatisticâ abundat ly: *Quo solo ablato perit res*; nam juxta Connotatistas omne requisitum essentiale rei est tale, quo solo ablato perit eadem res, ac proinde hac illorum doctrina supposita, tota definitio sufficienter his terminis compre-

henditur: *Connotatum strictè tale est requisitum essentiale rei non constitutivum ejusdem.* 3tiò. Eædem definitiones non omni competunt connotato juxta Connotatistas strictè seu Antonomasticè tali, quia totum physicum secundùm Connotatistas est Antonomasticum connotatum suæ partis actualis ut talis, cui tamen toti non competunt definitiones prædictæ, nam totum physicum in sententia Oppositorum est constitutivum suæ partis actualis quà talis v. g. Petrus in sententia Oppositorum est constitutivum suæ partis actualis quà talis, ut probo. Iuxta R. P. Domaradzki requisitum essentiale ad esse rei se toto identificatum alii rei est constitutivum rei, quia juxta illum in Logica numero 555. *Constitutivum strictè tale definitivè est requisitum essentiale se toto identificatum alii rei.* Ergo & requisitum essentiale ad esse suæ partis actualis quà talis se toto identificatum suæ parti actuali quà tali, est constitutivum suæ partis actualis quà talis. Sed Petrus est requisitum essentiale ad esse suæ partis actualis quà talis, (ut certum est Oppositis, & nominatim R. P. Domaradzki, juxta quem in Compendio Connotatorum num. 6. *Petrus est essentiale requisitum respectu suæ partis actualis, pariter atque v. g. corpus Petri est essentiale requisitum Petri*) se toto identificatum suæ parti actuali quà tali v. g. suæ animæ unitæ corpori, ut facilè deduci potest proportionatè ad dicta num. 6. mutato solùm ly: *Secundùm totam entitatem suam* in ly: *Se toto.* Ergo Petrus [in sententia oppositorum) est constitutivum suæ partis actualis quà talis.

120. Iuxta R. P. Tuchołka in Logica num. 160. *Connotatum strictè tale est requisitum essentiale non identificatum se toto rei seu denominationi.* Hæc definitio est exactior aliis definitionibus Connotatisticis jam relatis, ideoque contra illam non militat 1ma & 2da ratio data numero superiore,

 militat

militat tamen ratio 3tia, quia hæc quoq; definitio non competit connotato illi, quod semiextrinsecum vocatur à Connotatistis, ac etiam ab ipso hujus definitionis Auctore in Logica Disp. 3. ante numerum 178. Ergo non est recta.

121. Iuxta omnes Anticonstitutivistas Connotatum Antonomasticè tale aliud est adæquatè distinctum à re connotante, ut Creator à creatura; aliud inadæquatè distinctum à re connotante, ut totum à parte actuali. Ita R. P. Gzowski in Logica num. 880. ubi ille docet dari connotatum intrinsecum, quod neque est connotatum purè extrinsecum, neque constitutivum, quale inquit connotatum est totum respectu suæ partis. Ita quoq; R. P. Radominski in Logica num. 553. R. P. Domaradzki in Logica num. 558. & in Compendio Connotatorum num 3. R. P. Kobielski in Physica num. 96. ac R. P. Tuchołka in Logica Disput. 3. Quæst 3. ante numerum 178. Non rectè; quia connotatum inadæquatè distinctum à re connotante est species connotati, cui non cōpetit ratio connotati generalissimè accepti, ut patet reflectenti ad definita num. 114. imò nec convenit illi etiam Connotatistica definitio connotati strictè talis, ut declaratum num. 119. in ratione 3tia, ac proinde divisio connotati Antonomastici in connotatum adæquatè distinctum à re connotante, & in connotatum inadæquatè distinctum à re connotante, est similis illi, quâ aliquis partem divideret in partem aliam adæquatam (quæ est species partis, cui ex declaratis num. 53. non competit ratio partis generalissimè acceptæ) & aliam inadæquatam &c.

122. Iuxta eosdem connotatum Antonomasticè tale, aliud est immediatum, sine quo res connotans nec existere nec concipi potest, ut v. g Creator respectu creaturæ; aliud mediatum, sine quo res connotans concipi potest, non tamen existere, ut v.

ut v. g. DEUS respectu lapidis. Ita R. P. Radominski in Logica num. 554. R. P. Domaradzki in Logica num. 558. & in Compendio Connotatorum num. 3. R. P. Kobielski in Physica num. 96. ac R. P. Tuchołka in Logica Disp. 3. Quæst. 3. ante numerum 178. cum hoc tamen hujus à prædictis discrimine, quia juxta *R.* P. Tuchołka loco citato, *Connotatum immediatum potiori titulo est tale requisitum essentiale denominationis, ut illo solo ablato immediatè & formaliter pereat denominatio, mediatum verò connotatum est tale requisitum essentiale, ut illo solo ablato mediatè tantùm & consequenter pereat res, vel denominatio rei.* Non rectè; quia licèt sine DEO ut trino in Personis, concipi possit, non tamen existere creatura, nihilominus DEUS ut trinus in Personis non est causa mediata creaturæ, cùm immediatè creatura exigat dependere à DEO etiam ut trino in Personis. Ergo pariter licèt sine DEO concipi possit, non tamen existere v. g. lapis, nihilominus DEUS non est mediatum connotatum lapidis, cùm immediatè lapis ad suum esse requirat DEUM &c. Hinc divisio connotati Antonomastici in connotatum immediatum, & mediatum, est similis huic, quâ aliquis divideret causam v. g. visionis productæ à Petro quà talis, in aliam immediatam, sine qua visio producta à Petro quà talis nec concipi potest nec existere, qualis causa est Petrus respectu visionis à se productæ quà talis; & in aliam mediatam, sine qua visio producta à Petro quà talis concipi potest, non tamen existere, qualis causa est *DEUS* trinus & unus respectu ejusdem visionis, &c.

§ 5tus

Quodnam sit indiciũ connotati Antonomastici?

122. RESPONDEO ad quæstionem. Iuxta Connotatistas signum præfati Connotati

notati est: *Esse requisitum essentiale alius rei importatum purè in obliquo ejusdem rei rectè explicata.* Hunc esse illorum sensum testatur, omnium Connotatisticorum mysteriorum conscius R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 19. ac etiam ipse num. 22. subscripsit huic Connotatistico principio, mutato solùm ly: *Importatum purè in obliquo*, in ly: *Non importatum in recto.* Idem testatur R. P. Tuchołka in Logica num. 169. inquiens: *Communiter à Connotatistis assignatur indicium constitutivi tale, quòd scilicet illud sit constitutivum, quod in aliqua denominatione aut recta rei explicatione importatur in recto; illud verò est purum requisitum essentiale, seu connotatum, quod in aliqua denominatione aut in aliqua rei explicatione purè importatur in obliquo.* His ille ex communi Connotatistarum sensu relatis, num. 170. sic concludit: *Purum requisitum, seu connotatum denominationis aut rei est requisitum essentiale illius in eadem denominatione aut recta rei explicatione non importatum, nec importabile in recto Philosophico.* Porro juxta R. P. Kobielski in Physica num. 23. *Obliquum objectivum est objectum, quod non est affirmabile verè per casum rectum de eadem denominatione.* Idem tenere tenentur etiam alii Connotatistæ, quia oppositorum opposita est ratio. Ergo cùm juxta illos illud importatur Philosophicè in recto rei, quod in aliqua propositione est verè affirmabile per casum rectum de eadem rè, ut constat ex relatis num. 64. illud debet importari Philosophicè in obliquo rei, aut non importari in recto rei, quod non est affirmabile verè per casum rectum de eadem re. Hinc etiam juxta R. P. Tuchołka in Logica num. 169. *Rectum objectivum est objectum expressum vel exprimibile per casum rectum; obliquum verò objectivum est objectum expressum vel exprimibile per casum obliquum, pari ratione, ac objectum de quo aliquid enuntiatur, dicitur*

dicitur subjectum objectivum; quod verò de alio enuntiatur, dicitur prædicatum objectivum &c. Hoc præjacto sit

SECTIO Ima.
Rejicitur indicium Connotati Antonomastici.

124. DICO. Præfatum indicium connotati non est rectum. Probatur. Præfatum indicium connotati competit etiam alicui constitutivo. Ergo non soli competit connotato. Ergo non est rectum. Probatur assumptum *1mò.* Præfatum indicium connotati competit essentialibus partibus physicis v. g. hominis distributivè sumptis ut talibus. Ergo competit alicui constitutivo. Consequentia patet, quia essentiales partes physicæ hominis distributivè sumptæ ut tales certè constituunt hominem, ac proinde sunt aliquod constitutivum ejusdem. Antecedens probatur. Essentiales partes physicæ hominis distributivè sumptæ ut tales sunt requisita essentialia hominis (ut certum est omnibus) non importata nec importabilia in recto hujus denominationis: *Homo adæquatè acceptus*, ut probatum num. 66. Ergo præfatum indicium connotati competit prædictis partibus.

125 Probatur *2dò* idem assumptum. Præfatum indicium connotati competit huic v. g. prædicato relativo: *Generans*, sumpto sine ullo addito restringente, comparato ad Essentiam DEI Theologicè sumptam. Ergo competit alicui constitutivo. Consequentia patet, quia præfatum relativum prædicatum Divinum constituit Essentiam DEI Theologicè sumptam, ut probabiliùs docent plures Theologi, ac etiam ipse Emeritissimus R. P. Gzowski in

Manu-

Manuscriptis de DEO à num. 57. Antecedens probatur. Hoc prædicatum relativum: *Generans*, sumptum sine ullo addito restringente, est essentiale requisitum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ (ut certum est omnibus) non importatum, nec importabile in recto hujus denominationis aut rei: *Essentia DEI Theologicè sumpta*, ut probatum est num. 69. & 87. imò ex insinuatis eodem num. 87. est obliquum Naturæ Divinæ. Ergo &c.

126. Probatur 3*tiò* idem assumptum. Præfatum indicium connotati competit huic v. g. prædicato absoluto: *Trinepersonabilis*, proprio Naturæ Divinæ, comparato ad æternum Patrem. Ergo competit alicui constitutivo. Consequentia patet, quia sicut Natura Divina juxta omnes constituit DEUM Patrem, ita quoque constituit eundem etiam quodlibet prædicatum absolutum, proprium Naturæ Divinæ. Antecedens probatur. Hoc prædicatum absolutum: *Trinepersonabilis*, proprium Naturæ Divinæ, est essentiale requisitum DEI Patris, non importatum nec importabile in recto hujus denominationis: *DEUS PATER*. Ergo &c 1ma pars Antecedentis patet, quia sicut Natura Divina, ita & hoc prædicatum absolutum: *Trinepersonabilis* proprium Naturæ Divinæ, essentialiter requiritur ad esse DEI PATRIS. 2da pars Antecedentis probatur. Tum quia sequitur id ex descriptione recti data à Nobis num. 80. Nimirum rectum denominationis ut sic strictè & propriè tale est objectum, quod ita attingitur ab aliquo vero conceptu ejusdem denominationis, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari possit de eadem denominatione. Ergo & rectum hujus denominationis: *DEUS PATER*, est objectum, quod ita attingitur ab aliquo vero conceptu ejusdem denominationis, ut illud verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmari possit de eadem denominatione

minatione, scilicet de Patre. Sed ly: *Trinepersonabilis*, verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, non potest affirmari de Patre, falsa siquidem est hæc simpliciter prolata propositio: *Pater est trinepersonabilis*, seu est potens subsistere per tres Personalitates Divinas. Ergo ly: *Trinepersonabilis*, non est rectum hujus denominationis: DEUS PATER, ac proinde nec importatur, nec est importabile in recto ejusdem denominationis. Tum quia sequitur idem etiam ex Connotatistica descriptione recti. Nimirum juxta communiorem Oppositorum doctrinâ num. 64. universaliter illud importatur in recto denominationis aut rei, quod est requisitum essentiale ejusdem denominationis aut rei, verè affirmabile per casum rectum de eadem denominatione aut re. Ergo illud importatur in recto etiam DEI Patris, quod est requisitum essentiale Patris, verè affirmabile per casum rectum de Patre. Sed ly: *Trinepersonabilis*, non est requisitum essentiale Patris verè affirmabile per casum rectum de Patre. Ergo &c.

127. Probatur 4to idem assumptum. Præfatum indicium connotati competit huic prædicato Divino: *Immultiplicabilis numero* proprio Naturæ Divinæ, comparato ad Personam Divinam. Ergo competit alicui constitutivo. Consequentia patet, quia sicut Natura Divina constituit Personam Divinam, ita quoque constituit eandem etiam hoc prædicatum: *Immultiplicabilis numero*, proprium Naturæ Divinæ. Antecedens probatur. Hoc prædicatum Divinum: *Immultiplicabilis numero*, proprium Naturæ Divinæ, ex una parte est essentiale requisitum ad esse Personæ Divinæ, quia sicut Natura Divina, ita & præfatum prædicatum Naturæ Divinæ proprium, requiritur essentialiter ad esse Personæ Divinæ; ex altera parte idem prædicatum non importatur, nec est importabile in recto hujus denominationis: *Per-*

sona Divina, quia de Persona Divina verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, ac proinde verè per casum rectum affirmari non potest hoc prædicatum Divinum: *Immultiplicabilis numero*, falsa siquidem est hæc simpliciter prolata propositio: *Persona Divina est immultiplicabilis numero*, seu essentialiter unica. Ergo &c.

128. Probatur 5tò idem assumptum. Præfatum indicium connotati competit huic prædicato Divino: *Multiplex*, proprio Personæ Divinæ, comparato ad Naturam Divinam. Ergo competit alicui constitutivo. Consequentia patet, quia sicut Persona Divina constituit Naturam Divinam, ita quoque constituit eandem etiam hoc prædicatum: *Multiplex*, proprium Personæ Divinæ. Antecedens probatur. Hoc prædicatum Divinum: *Multiplex*, proprium Personæ Divinæ, ex una parte est essentiale requisitum ad esse Naturæ Divinæ, quia sicut Persona Divina, ita & præfatum prædicatum, Personæ Divinæ proprium, essentialissimè requiritur ad esse Naturæ Divinæ; ex altera parte idem prædicatum non importatur, nec est importabile in recto hujus denominationis aut rei: *Natura Divina*, quia de Natura Divina verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, ac proinde verè per casum rectum affirmari non potest hoc prædicatum Divinum: *Multiplex*, falsa siquidem est hæc simpliciter propositio: *Natura Divina est multiplex*. Ergo &c.

SECTIO 2da.

Solvuntur objectiones

129. OBJICITUR 1mò. Nulla est necessitas, ut illa, quæ importantur in obliquo alicujus denominatonis, sint constitutiva ejusdem denominationis, siquidem sufficit, ut sint pura re-

ra requisita, seu connotata. Ergo quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, non sunt constitutiva ejusdem denominationis.. Ita in re R. P. Gzowski in suo Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 3. R. P. Domaradzki in Logica. num. 575. ac R. P. Tuchołka in Logica num. 171. addens illam familiarem Connotatistis rationem, quia sicut entia, ita & constitutiva entium non sunt multiplicanda sine necessitate. Respondeo retorquendo argumentum. Nulla est necessitas, ut illa omnia, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, sint connotata ejusdem denominationis. quia non sunt multiplicanda entia realiter adæquatè distincta sine necessitate. Ergo aliqua, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis aut rei, sunt constitutiva ejusdem denominationis aut rei. Nos certè, qui asserimus aliqua etiam ex illis, quæ importantur in obliquo rei, esse constitutiva ejusdem rei, multiplicamus solùm entia realiter inadæquatè distincta à suis constitutis; imò aliqua ex iisdem realiter adæquatè identificamus suis constitutis, ut patet reflectenti ad dicta num. 125. & sequentibus tribus. E contra Connotatistæ asserentes omnia ea, quæ importantur in obliquo rei, aliqua esse connotata semiextrinseca, aliqua verò, eaque incomparabiliter plura, esse connotata purè extrinseca, multiplicant entia & realiter inadæquatè, & realiter adæquatè inter se distincta, ac proinde magis illi multiplicant entia. Hinc ulteriùs adverto, quòd ex illo axiomate: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, sequitur debere multiplicari potiùs constitutiva, quàm connotata, & quidem cum hac necessitate, nè multiplicentur entia sine necessitate ac fundamento realiter adæquatè distincta. Retorqueo etiam sic argumentum. Nulla est necessitas, ut illa, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, sint Antonomastica connotata ejusdem

dem denominationis, quia sufficit, ut sint vel connotata non requisita ad esse rei; vel connotata requisita ad esse rei, non tamen Antonomasticè talia, vel aliquando etiam constitutiva. Ergo quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, non sunt Antonomastica connotata ejusdem denominationis. Directè nego assumptum cum sua ratione. Tum quia est necessitas; ut essentiales partes physicæ totius, distributivè sumptæ ut tales constituant totum, & tamen prædictæ partes ex declaratis num. 66. importantur purè in obliquo totius; utpote nec importatæ, nec importabiles in recto ejusdem. Tum quia est necessitas, ut ly: *Generans, Genitum, & Procedens*, juxtà probabiliorem, eamque etiam Connotatistis communem in Tractatu de DEO sententiam, realiter constituant Essentiam Theologicè sumptam, & tamen etiam in Connotatisticis principiis illa prædicata Divina importantur in obliquo Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, ut declaratum est num. 69. & 87. Idem patet etiã in aliis prædicatis Divinis insinuatis num. 126. 127. & 128. Potest quoque in gratiam opponentium sic distingui negatum Antecedens. Nulla est necessitas, ut omnia illa, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, sint constitutiva ejusdem denominationis, concedo. Nulla est necessitas, ut aliqua illa, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, sint constitutiva ejusdem denominationis, nego ex supràdictis. Ergo aliqua, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, non sunt constitutiva ejusdem denominationis, concedo consequentiam. Ergo omnia, quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, non sunt constitutiva ejusdem denominationis, nego consequentiam.

130. Dices. Non dantur constitutiva denominationum in obliquo importata. Ergo omnia, quæ

quæ importantur in obliquo alicujus denominationis, non sunt constitutiva ejusdem denominationis. Probatur Antecedens. Si darentur constitutiva denominationum etiam in obliquo importata, tunc contingeret aliquando esse plura constitutiva rei, quàm 100. vel 1000. quia hujus denominationis: *Petrus habens 1000 boves, totidem oves, ac innumeras pecunias* essent plura constitutiva, quàm 100 vel 1000 ut per se patet. Hoc dici non potest, quia nulla est necessitas & fundamentum sic multiplicandi constitutiva denominationum, quæ enim est hæc necessitas & fundamentum? Ergo &c. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 65. & 66. Firmatur 1mò. Nullum requisitum essentiale purè in obliquo importatum identificatur etiam inadæquatè suo denominato, quia nullum est verè affirmabile de eodem denominato, ut patet omni inductione. Sic obliquum hujus denominati: *Petrus habens equum*, non est verè affirmabile de eodem denominato, quia ly: *Equus*, nullatenus est verè affirmabilis etiam cum alio de Petro habente equum. Ergo nullum requisitum essentiale purè in obliquo importatum, est constitutivum. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 26. & R. P. Kobielski in Physica num. 65. Firmatur 2dò. Omne constitutivum denominationis, aut rei, potest verè determinatè (vel se solo, vel saltem cum alio aut aliis pariter quoq; importatis in recto) affirmari in recto de eadem denominatione aut re. Sed requisitum essentiale in denominatione vel recta rei explicatione non importatum nec importabile in recto Philosophico, non potest verè determinaté affirmari in recto de eadē denominatione vel re. Ergo prædictum requisitum non est constitutivum denominationis aut rei. Minor immediata [inquit Objiciens] per se evidens esse videtur. Major probatur. Omne se toto identificatum denominationi vel rei, potest in recto verè de-

terminatè affirmari de eadem denominatione, vel re. Sed omne constitutivum est se toto identificatum denominationi vel rei, ut aliunde jam notum. Ergo omne constitutivum denominationis vel rei potest verè determinatè affirmari in recto de eadem denominatione vel re. Major probatur. Quod est verè affirmabile de re vel denominatione, illud potest in recto verè affirmari de eadem re vel denominatione. Sed quod est se toto identificatum denominationi vel rei, est verè affirmabile de re aut denominatione. Ergo &c. Minor (inquit Objiciens) patet, quia omnis identitas unius cum altero est vera affirmabilitas unius de altero &c. Major ita (inquit) evincitur. Quod solùm potest affirmari in obliquo de re vel denominatione, non est verè affirmabile de re illa vel denominatione, aliàs etiam DEUS esset verè affirmabilis de Petro secundùm se sumpto, & unibilia de unione, ac modificatum de suo modo, quia DEUS potest affirmari in obliquo de Petro etiam secundùm se sumpto, unibilia de unione, modificatum de modo, veræ enim sunt prædicationes istæ: *Petrus secundùm se sumptus est connexus cum DEO. Unio est nexus extremorum unibilium. Hæc numero visio est visio parietis &c.* Ergo è converso, quod est verè affirmabile de re vel denominatione, potest affirmari verè & determinatè in recto de eadem re vel denominatione. Ita R. P. Tuchołka in Logica num. 171.

131. Respondeo. Nego Antecedens ursionis. Probationem retorqueo. Si darentur Antonomastica connotata denominationum in obliquo importata, tunc contingeret aliquando esse plura Antonomastica connotata rei, quàm 100. vel 1000. quia hujus denominationis: *Petrus habens* 1000. *boves, totidem oves & innumeras pecunias*, essent plura Antonomastica connotata, quàm 100. vel 1000. ut per se patet. Hoc dici non potest, quia nulla est

necessitas

necessitas & fundamentum sic multiplicandi Antonomastica connotata denominationum, quæ enim est hæc necessitas & fundamentum? Ergo non dantur Antonomastica connotata denominationum in obliquo importata. Item. Si darentur constitutiva denominationum in recto importata, tunc contingeret aliquando esse plura constitutiva rei, quàm 100 vel 1000. quia hujus denominationis: *Millio boum,* essent plura constitutiva, quàm 100. vel 1000. ut per se patet. Hoc dici non potest, &c. ut suprà. Ergo non dantur constitutiva denominationum in recto importata. Directè concedo Sequelam Majoris, nego Minorem cum sua ratione, quia quæcunque etiam juxta Oppositos est necessitas ac fundamentum, ut v. g. ternarius militum constituatur pluribus militibus quàm uno, eadem est necessitas ac fundamentum, ut v. g. legio militum constituatur pluribus, quam mille militibus, & sic de cæteris similibus totis. His tamen non obstantibus hæc concretè sumpta denominatio: *Petrus habens* 1000. *boves, totidem oves, & innumeras pecunias*, non constituitur mille bobus, totidem ovibus, & innumeris pecuniis, sed solùm constituitur entitate Petri tanquam subjecto, & habitione seu possessione prædictorum entium tanquam forma, cùm universaliter omne concretum sufficienter constituatur subjecto & forma debitè applicata, jam autem mille boves, totidē oves & innumeræ pecuniæ nec sunt subjectum, nec forma hujus denominationis: *Petrus habens* 1000. *boves, totidem oves, & innumeras pecunias*, sed præfata entia sunt connotata prædictæ possessionis, non tamen Antonomasticè talia. Ergo per Nos etiam hìc non multiplicantur constitutiva sine necessitate.

132. *Confirmationi* 1*mæ* nego Antecedens. quia partes hominis essentiales physicæ distributivè sumptæ ut tales inadæquatè identificantur homini adæquatè accepto, & tamen prædi-

ctæ partes distributivè sumptæ quà tales, etiam in principiis Oppositorum importantur purè in obliquo hominis adæquatè accepti, utpote ex declaratis num. 66. verè per casum rectum non affirmabiles de homine adæquatè accepto. Hinc etiam juxta R. P. Kobielski in Physica num. 94. *In hac propositione: Homo est anima & corpus habentia unionem, partes collectivè sumpta prædicantur de toto.* Nec opposita ratio infert negatum Antecedens; quia non omne constitutivum rei, nec omne identificatum rei debet esse verè affirmabile de re, nam in Divinis ly: *Generans*, realiter constituit Essentiam DEI Theologicè sumptam, ut docetur etiam à Connotatistis, ac identificatur eidem Essentiæ; nec tamen idem ly: *Generans*, est verè affirmabile de eadem Essentia, ut certum est ex Concilio Lateranensi juxta declarata num. 69. In creatis quoque anima rationalis, etiam separatim à corpore secundùm se præcisè sumpta, identificatur inadæquatè homini, nec tamen anima rationalis separatim à corpore secundùm se præcisè sumpta, est affirmabilis verè de homine, falsa siquidem est hæc propositio: *Homo est anima rationalis*, ut fatetur etiam R. P. Domaradzki in Logica num. 576. dicens: *Anima v. g. Petri non est affirmabilis in recto de Petro in hac propositione: Petrus est anima*, supponitque idem etiam R. P. Kobielski in Physica num. 94. ubi ille quandam sui Comprofessoris doctrinam rejicit ex hac inter cæteras ratione, *quia aliàs vera essent istæ propositiones: Homo est anima. Homo est corpus &c.*

133. *Confirmationi 2dæ* nego Majorem. Tum quia partes hominis essentiales physicæ distributivè sumptæ quà tales, constituunt hominem adæquatè acceptum, nec tamen ex insinuatis suprà sunt verè determinatè per casum rectum affirmabiles de homine adæquatè accepto. Tum quia ly,

Generans, realiter constituit Essentiam DEI Theologicè sumptam, nec tamen est verè determinatè per casum rectum, ac proinde in recto Connotatistico affirmabile de eadem. Idem patet etiam in aliis prædicatis Divinis recensitis num. 126 127 & 128. 2do ejusdem confirmationis argumento nego iterum Majorem, cujus falsitas patet ex iisdem ut suprà instantiis, ac præterea ex eo, quia v. g. Petrus adæquatè sumptus se toto identificatur animæ Petri ut facilè declarari potest conformiter ad dicta num. 6. mutato solùm ly: *Secundùm totam entitatem suam*, in ly: *Se toto*; nec tamen Petrus adæquatè sumptus potest verè simpliciter affirmari de anima. Minor quoque ejusdem argumenti 2di non subsistit ex dictis num. 10. 3tio argumento transita Majore nego Minorem cum sua ratione, quia potiùs oppositum patet ex instantiis datis contra utramque Majorem hìc negatam. Transivi Majorem prædicti 3tii argumenti. Tum quia totum potest affirmari de sua parte physica in hunc modum: *Pars totius physici inadæquatè est suum totum*, nec tamen hoc de illa affirmari potest in recto Philosophico, utpote de eadem in affirmabile verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, Tum quia interpositio lunæ inter terram & solem potest verè affirmari de eclipsi solis, ut patet in hac propositione: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem*; nec tamen hæc de illa affirmari potest in recto Philosophico, utpote de eadem inaffirmabilis verè & identicè &c. 4to argumento nego consequentiam quia veritas Antecedentis videtur patere universali inductione. Secus ex immediatè suprà dictis veritas Consequentis.

134. Urgetur, & præterea sic ab eodem R. P. Tuchoška in Logica num. 171. probatur 1ma Major confirmationis 2dæ. Omne totum est explicabile per sua constitutiva ita, ut omne ejus constitutivum

tutivum importetur in recto. Ergo &c. Probatur Antecedens. Omne totum est explicabile per suas partes essentiales physicas. ita ut omnis pars illius veniat in recto. Ergo &c. Probatur Antecedens. Omne totum est explicabile per suam essentiam physicam, ita ut hæc tota veniat in recto, sicut omne totum physicum est explicabile per suam essentiam metaphysicam, ita ut hæc tota veniat in recto, nam de omni toto est affirmabilis in recto tota illius quidditas, ac proinde & synonyma illi essentia, quidditas enim rei illud dicitur, per quod responderi potest in recto ad quæstionem, quid sit res? Ergo omne totum est explicabile per suas partes essentiales physicas, ita ut omnis pars illius veniat in recto, quia tota essentia physica nihil aliud est, nisi omnes & singulæ partes essentiales physicæ. Respondeo. 1mo & 2do argumento nego Antecedens, quia partes totius essentiales physicæ distributivè sumptæ quà tales, etiam Connotatisticè non importantur in recto totius physici, ut declaratum est numero 66. debentque id omnino admittere Nostri Connotatistæ, quibus certum ac indubitatum est, quòd in omni propositione vera affirmativa non disjunctiva rectum prædicati adæquatè identificetur recto subjecti, jam autem partes totius essentiales physicæ distributivè sumptæ ut tales solùm realiter inadæquatè identificantur suo toti. 3tium argumentum retorqueo. Omne totum est explicabile per suam essentiam physicam, ita ut hæc tota adæquatè identificetur toti. Ergo omne totum est explicabile per suas partes essentiales physicas, ita ut omnis pars illius adæquatè identificetur toti &c. Directe nego consequentiam cum sua ratione, quia tota essentia physica realiter inadæquatè distinguitur à singulis partibus suis essentialibus physicis. Ergo falsum est quòd tota essentia

physica

physica nihil aliud sit, nisi omnes & singulæ partes essentiales physicæ. Hinc facile colligi potest ratio disparitatis, cur scilicet tota essentia physica totius veniat in recto ejusdē. totius non omnis verò pars essentialis physica totius veniat in recto ejusdem. Nimirū ex una parte tota essentia physica totius realiter adæquate identificatur toti, jam verò nulla pars physica totius realiter adæquatè identificatur toti; ex altera parte tota essentia physica totius verè & identicè simpliciter per copulā: *Est*, affirmari potest de toto, nulla verò pars physica totius verè & identicè sīpliciter per copulā: *Est*, affirmari potest de toto. Ergo &c.

135. Objicitur 2*dò*. Requisitum essentiale importatum purè in obliquo hujus denominationis: *Petrus essentialiter connexus cum DEO*, non est constitutivum ejusdem denominationis, ut omnes concedunt Oppositi. Ergo idem censendum pariter & de aliis omnibus requisitis essentialibus purè in obliquo importatis. Ita R. P. Domaradzki in Logica num. 575. R. P. Kobielski in Physica num. 69. ac R. P. Tuchołka in Logica num. 172. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientes. Requisitum essentiale importatum purè in obliquo hujus denominationis: *Petrus essentialiter connexus cum* DEO, scilicet ly: *DEUS*, est realiter adæquate distinctum à prædicta denominatione, ut certum est omnibus. Ergo idem censendum pariter & de aliis omnibus requisitis essentialibus importatis purè in obliquo. Ergo & totum est realiter adæquatè distinctum à qualibet sua parte actuali quà tali, quia totum juxta Oppositos est requisitum essentiale cujuslibet suæ partis actualis quà talis importatum purè in obliquo uniuscujusque partis suæ actualis quà talis, utpote secundùm illos semiextrinsecum connotatum ejusdem. Directè nego assumptum, quia hæc propositio: *Requisitum essentiale importatum purè in obliquo hujus denominationis:*

Petrus essentialiter connexus cum DEO, non est constitutivum ejusdem denominationis, æquivalet huic: *Nullum requisitum essentiale importatum purè in obliquo hujus denominationis: Petrus essentialiter connexus cum DEO, est constitutivum ejusdem denominationis*; quod falsum est, quia partes essentiales physicæ Petri distributivè sumptæ quà tales sunt requisita essentialia Petri, ut certū est ōnibus, ac importantur purè in obliquo hujus denominationis: *Petrus essentialiter connexus cum DEO*, ut patet ex insinuatis etiā numero superiore; & tamen sine dubio partes essentiales Petri distributivè sumptæ ut tales constituunt Petrum.

136. 3tio. Objicitur Requisitū essentiale importatū purè in obliquo hujus denominationis: *Homo distinctus adæquatè à lapide*, vel hujus: *Petrus quà distinctus adæquatè à Paulo*, non est constitutivum ejusdem denominationis, aliàs lapis identificaretur inadæquatè homini distincto adæquatè à lapide, & Paulus identificaretur inadæquatè Petro distincto à Paulo, quod est manifestè impossibile. Ergo per omnimodam paritatem idem dicendum de aliis omnibus. Ita R. P. Domaradzki in Logica num. 575. ac R. P. Kobielski in Physica num. 71. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientes. Quod importatur purè in obliquo hujus denominationis: *Homo distinctus adæquatè à lapide*, vel hujus: *Petrus quà distinctus à Paulo*, non est Antonomasticum connotatum ejusdem denominationis, aliàs lapis esset requisitum essentiale hominis adæquatè distincti à lapide, & Paulus esset requisitum essentiale Petri adæquatè distincti à Paulo, consequenter homo adæquatè distinctus à lapide ex se ab intrinseco nullatenus esse posset sine lapide, & Petrus adæquatè distinctus à Paulo, ex se ab intrinseco nullatenus posset esse sine Paulo, quod est falsissimum. Ergo per omnimodam paritatem idem dicendum de omnibus aliis obliquis. Directè nego Antecedens, quia

quia iterum prædicta propositio æquivalet huic: *Nullum requisitum essentiale importatum purè in obliquò hujus denominationis*: Homo *distinctus adæquatè à lapide, vel hujus*: *Petrus quà distinctus adæquatè à Paulo, est constitutivum ejusdem denominationis*; quòd falsum esse patet in partibus essentialibus Petri distributivè sumptis quà talibus conformiter ad dicta numero superiore. Probationi Antecedentis nego sequelam, quia nec lapis est requisitum essentiale hominis distincti à lapide, nec Paulus est requisitum essentiale Petri adæquatè distincti à Paulo, homo siquidem etiam non existente lapide, potest esse, imò debet necessariò esse adæquatè distinctus à lapide, & Petrus etiam non existente Paulo, potest esse, imò necessariò debet esse adæquatè distinctus à Paulo, nam juxta communem Nostrorum etiam ipsorum Connotatistarum sententiam contra Thomistas, & Scotistas, realis maximè adæquata distinctio unius entis ab alio non est superaddita illi enti, quòd denominatur distinctum realiter, sed in re est idem ipsum ens, quòd denominatur distinctum, illique identificatur realiter adæquatè. Unde mirum est R. P. Iosephum Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 13. affirmâsse: *Petrus secundùm suam præcisè entitatem sumptus non distinguitur adæquatè à lapide existente*. Quare lapis est connotatum non requisitum ad esse hujus denominationis: *Homo distinctus adæquatè à lapide*, & Paulus est connotatum non requisitum ad esse hujus denominationis: *Petrus distinctus adæquatè à Paulo*.

137. Objicitur 4*to*. Linea A ut æqualis lineæ B. non constituitur lineâ B. aliàs linea A. ut æqualis lineæ B. non esset æqualis lineæ B, quia esset totum constitutum lineâ B. Ergo obliquum lineæ A ut æqualis lineæ B. non est constitutivum ejusdem lineæ A. Ergo idem censendum pariter & de aliis omnibus obliquis denominationum. Ità

R. P.

R. P. Domaradzki in Logica num. 575. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientem Doctissimum. Linea B. non est Antonomasticum connotatum lineæ A. aliàs linea B. esset requisitum essentiale lineæ A. consequenter linea A. ex se ab intrinseco nullatenus esse posset sine linea B. quod est in terminis falsissimum. Ergo linea B. non est Antonomasticum connotatum lineæ A. etiam ut æqualis lineæ B. si enim linea B. esset Antonomasticum connotatum lineæ A. ut æqualis lineæ B. tunc linea B. esset Antonomasticum connotatum lineæ A. simpliciter sumptæ sine reduplicatione, quia juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 28. ad finem, & juxta R. P. Kobielski in Physica num. 78. *Universaliter quæ propositio cum reduplicatione vera est, illa est vera etiam sine reduplicatione.* Firmatur. Iuxta R. P. Domaradzki loco citato. *Si v. g. Petrus quà habens equum esset equus habitus à Petro, tunc Petrus simpliciter habens equum esset equus habitus à Petro, universaliter enim quæ propositio cum reduplicatione vera est, illa est vera etiam sine reduplicatione.* Similiter juxta R. P. Kobielski loco citato *Si DEUS quà oppositus peccato esset binarius ex DEO & peccato, tunc DEUS simpliciter oppositus peccato esset binarius ex DEO & peccato, universaliter enim quæ propositio est vera cum reduplicatione, est vera & sine reduplicatione seu simpliciter, ut patet omni inductione.* Ergo pariter si linea B. esset Antonomasticum connotatum lineæ A. quâ æqualis lineæ B. tunc linea B esset Antonomasticũ connotatum lineæ A æqualis lineæ B. sine reduplicatione, quia universaliter, ut volunt Oppositi, quæ propositio cum reduplicatioue vera est, illa est vera etiã sine reduplicatione. Atqui juxta Oppositos linea B est Antonomasticum connotatũ lineæ A. quà æqualis lineæ B. Ergo linea B. est Antonomasticum connotatum lineæ A. æqualis lineæ B. simpliciter. Ergo

linea

linea B. est Antonomasticum connotatum lineæ A. etiam sine hoc restringente : *Æqualis linea B.* quia juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 35. *à termino restricto ad irrestrictum valet consequentia* ; ubi ille hunc terminum : *Gabriel actu constituens totum*, censet esse restrictum ; hunc verò terminum. *Gabriel*, censet esse irrestrictum. Porro si ly : *Gabriel actu constituens totum*, est terminus restrictus, & ly : *Gabriel*, est terminus irrestrictus, tunc pariter ly : *Linea A. aqualis linea B.* est terminus restrictus, & ly : *Linea A.* est terminus irrestrictus. Ergo linea B. est requisitum essentiale lineæ A. ac solâ ablatâ lineâ B. tollitur linea A. quod falsum esse patet ex terminis. Directè concedo Antecedens, quia linea A. ut æqualis lineæ B. concretè (ut suppono) sumpta tam pro entitate lineæ A. quàm pro æqualitate lineæ A. cum linea B. sufficienter constituitur subjecto, quod est entitas lineæ A. & formâ, quæ est æqualitas lineæ A. cum linea B. seu localis extensio lineæ A. & B. ac negatio excessûs in una extensione supra aliam, jam verò entitate lineæ B non constituitur, ut cum plerisque docui in Philosophia de Relationibus. Distinguo 1mum consequens. Ergo aliquod obliquum lineæ A. ut æqualis lineæ B. non est constitutivum ejusdem lineæ A. concedo. Ergo omne obliquum lineæ A. ut æqualis lineæ B. non est constitutivum ejusdem lineæ A. nego, quia oppositum patet in partibus essentialibus lineæ A. distributivè sumptis ut talibus ex insinuatis num. 134.

138. Objicitur 5tò. Obliquum hujus denominationis *Binarius A. Angelorum æqualis binario B. Angelorum*, non est constitutivum ejusdem denominationis, quia aliàs binarius A. Angelorum quà æqualis binario B. Angelorum esset totum respectu binarii B. consequenter binarius A. quà æqualis binario B. esset major binario B. omne enim totum est majus sua parte, adeo;

te adeoque binarius A. quà æqualis binario B. non esset æqualis binario B. quod implicat, sicut implicat, ut paries quà albus non sit albus, & Petrus quà similis non sit similis. Ergo idem dicendum de cæteris omnibus obliquis. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 25. & R. P. Kobielski in Physica num. 71. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientes. Obliquum hujus denominationis: *Binarius A Angelorum æqualis binario B Angelorum*, non est Antonomasticum connotatum ejusdem denominationis, quia binarius B. Angelorum non est Antonomasticum connotatum binarii A. Angelorum, aliàs binarius B. Angelorum esset Antonomasticum connotatum binarii A Angelorum æqualis binario B. Angelorum etiam simpliciter sine reduplicatione, consequenter binarius B. Angelorum esset Antonomasticum connotatum binarii A. Angelorum etiam sine hoc addito restringente: *Æqualis binario B Angelorum*, ut in sua sententia tenentur utrumque id admittere Oppositi ex dictis numero superiori, ac proinde binarius B. Angelorum esset requisitum essentiale binarii A. Angelorum, soloque ablato binario B. Angelorum tolleretur binarius A. Angelorum, quod est falsissimum. Directè nego Antecedens, quia hoc æquivalet isti: *Nullum obliquum hujus denominationis: Binarius A. Angelorum æqualis binario B. Angelorum, est constitutivum ejusdem denominationis*; quod conformiter ad suprà dicta falsum esse patet in partibus essentialibus physicis binarii A. Angelorum, æqualis binario B. Angelorum, distributivè sumptis ut talibus. Probationi Antecedentis nego sequelam, quia hoc concretum: *Binarius A. Angelorum quà æqualis binario B. Angelorum*, sufficienter constituitur subjecto, [quod est aggregatum ex duobus Angelis, seu entitas v. g: Michaëlis, simulque Gabrielis] & formâ, quæ est æqua-

litas, in numero binarii A. Angelorum cum binario B. Angelorum, seu in re binarietas A. Angelorum adæquatè identificata binario A. Angelorum, ac præterea negatio excessûs in binario A. Angelorum supra binarium B. Angelorum; universaliter enim æqualitas unius numeri cum alio numero est quantitas numeri & negatio excessûs in uno numero supra alium numerum. Ergo etiam juxta me dictum concretum non constituitur binario B. consequenter binarius A. Angelorum quà æqualis binario B. Angelorum non est totum respectu binarii B. Angelorum, aliàs certè binarius A. Angelorum quà æqualis binario B. Angelorum esset major, ac proinde non esset æqualis binario B. Angelorum, quod repugnat in terminis.

139. Adverto ab aliquibus dici quòd binarinarius A. Angelorum quà æqualis binario B. Angelorum concretè sumptus sit totum respectu binarii B. Angelorum, idē tamen binarius A. Angelorum quâ æqualis binario B. Angelorum materialiter sumptus non est totum respectu binarii B. *Contra est.* Infero. Ergo binarius A. Angelorum quà æqualis binario B. Angelorum, concretè sumptus, non est æqualis binario B. Angelorum, quod implicat. Tum quia implicat ut paries quà albus concretè sumptus, non sit albus. Similiter implicat ut Petrus quà similis Paulo, concretè sumptus, non sit similis Paulo. Ergo etiam implicat, ut binarius A. quà æqualis binario B. concretè sumptus, non sit æqualis binario B. Dixi: *Implicat, ut paries quà albus, concretè sumptus, non sit albus*; quia album quà album formaliter sumptum non est album, ut optimè advertitur in Dissertatione Philosophica de Connotatis & Constitutivis Denominationum Disp. 3. num. 140. album enim quà album formaliter sumptum est ipsamet albedo, quæ non est alba &c. Tum quia essentialiter falsa est hæc propositio: *Binarius A. concretè sumptus non est æqualis binario B. quia est æqualis*

binario

binario. B. ut patet. Ergo essentialiter falsa est & hæc propositio: *Binarius A. quà æqualis binario B. concretè sumptus non est æqualis binario B.* quia hæc 2da propositio exponitur per illam 1mam, ut censent plures Recentiores in Dialectica docentes universaliter, quòd propositio reduplicativa, cujus terminus reduplicatus (seu post particulam reduplicativam positus) & prædicatum sunt termini pertinentes sequelâ, exponatur per propositionem causalem. Ergo implicat, ut binarius A. quà æqualis binario B. etiam concretè sumptus, non sit æqualis binario B.

140. Objicitur 6tò. Obliquum hujus denominationis: *Paries quà unitus tantùm albedini*, non est constitutivum ejusdem denominationis, aliàs paries quà tantùm unitus albedini identificaretur albedini, adeoque non esset tantùm unitus sed etiam identificatus albedini. Ergo idem dicendum de cæteris omnibus obliquis. Ita R. P. Domaradzki in Logica num. 575. & in Compendio Connotatorum num. 25. ac R. P. Kobielski in Physica num. 71. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientes. Obliquum hujus denominationis: *Paries quà unitus tantùm albedini*, non est Antonomasticum connotatum ejusdem denominationis, aliàs albedo esset Antonomasticum connotatum parietis quà uniti tantùm albedini, consequenter juxta Oppositos albedo esset Antonomasticum connotatum parietis uniti tantùm albedini etiam simpliciter sine reduplicatione, ac proinde albebo esset Antonomasticum connotatum parietis etiam sine addito hoc restringente: *Uniti tantùm albedini, &c.* ut suprà num. 137. Directè nego Antecedens, quia etiam istud æquivalet huic propositioni: *Nullum obliquum hujus denominationis: Paries quà unitus tantùm albedini, est constitutivum ejusdem denominationis*, quod conformiter ad suprà dicta falsum esse patet in

partibus

partibus essentialibus physicis parietis, distributivè sumptis, ut talibus. Probationi Antecedentis nego Sequelam, quia etiam hoc concretum: *Paries unitus albedini*, juxta probabiliorem mihi ab ipsa Philosophia sententiam non constituitur albedine, præfatum siquidem concretum, sicut & quodcunque aliud simile, sufficienter constituitur substantiâ parietis tanquam subjecto dictæ denominationis, & unione albedinis tanquam forma ejusdem denominationis, jam verò albedo est connotatum essentialiter requisitum ad esse prædictæ denominationis, non tamen Antonomasticè tale.

141. Objicitur 7*mò*. Requisita essentialia importata purè in obliquo harum denominationum: *Modus exigens essentialiter modificatum. Visio parietis exigens essentialiter parietem*, non sunt constitutiva earundem denominationum. Ergo idem pariter dicendum & de aliis omnibus requisitis essentialibus purè in obliquo importatis. Ita R. P. Domaradzki in Logica num. 575. & in compendio Connotatorum num. 25. R. P. Kobielski in Physica num. 69. ac R. P. Tuchołka in Logica num. 172. Respondeo invertendo argumentum contrà Objicientes. Requisita essentialia importata purè in obliquo harum denominationum: *Modus exigens essentialiter modificatum. Visio parietis exigens essentialiter parietem*, scilicet modificatum & paries, sunt realiter adæquatè distincta à prædictis denominationibus. Ergo idem pariter dicendum & de aliis omnibus requisitis essentialibus purè in obliquo importatis. Ergo & totum est realiter adæquatè distinctum à qualibet sua parte actuali ut tali, &c. ut suprà num. 135. Directè concesso Antecedente nego consequentiã, quia aliqua requisita essentialia alicujus rei, importata purè in obliquo ejusdem rei, totaliter identificantur rei, ut conformiter ad insinuata superiùs patet in partibus totius physici & per aggregationem,

distributivè sumptis quà talibus. Ergo falsum est, quòd omnia requisita essentialia importata purè in obliquo denominationum, non sint constitutiva earundē. E contra nec modificatum modo, nec paries visioni parietis, identificatur totaliter, cùm juxta omnes modificatum materialiter sumptum à modo, & paries materialiter sumptus à visione parietis distinguatur realiter adæquatè.

142. Objicitur 8vò Si aliqua requisita essentialia denominationis in obliquo importata, essent constitutiva, tunc etiam hæc denominatio: *Paries habens albedinem sibi unitam*, constitueretur albedine & unione. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si prædicta denominatio constitueretur albedine & unione, tunc albedo & unio possent importari in recto ejusdem denominationis. Tum quia etiam Oppositi explicando denominationem aliquam, omnia in recto constitutiva ponunt, dum v. g. dicunt, quòd homo in re sit anima corpus & unio. Tum quia omne constitutivum siquidem identificatur toti, est affirmabile saltem cum alio de toto. Sed albedo & unio non possunt importari in recto denominationis prædictæ. Ergo &c. Probatur Minor. Si albedo & unio possent importari in recto prædictæ denominationis, tunc eædem omnino secum essent ambæ hæ denominationes: *Paries habens albedinem sibi unitam*. Et: *Paries, albedo & unio*, ut per se patet. Sed non sunt. Ergo &c. Probatur Minor. Si prædictæ denominationes ambæ essent omnino eædem secum, tunc possent de se verè prædicari ita: *Paries habens albedinem sibi unitam, est paries, albedo, & unio*, siquidem illa, quæ sunt secum idē omnino, possunt de se verè prædicari, ut certum omnibus. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Prædictarum denominatonum recta non identificantur secum adæquatè, ut per se patet. Ergo prædictæ denominationes non possunt de se verè prædicari

dicari, juxta illud axioma Dialecticum: *Ad veram prædicationem requiritur identitas adæquata recti subjecti cum recto prædicati*, ita R. P. Domaradzki in Logica num. 580.

143. Respondeo invertendo argumenta contra Opponentem. *Imò* Si aliqua requisita essentialia denominationis, essent constitutiva denominationis ejusdem, tunc etiam hæc denominatio: *Offensa DEI mortalis Theologica*, constitueretur DEO, quia R. P. Gzowski [consentientibus passim Connotatistis Nostris) in Sacramentis num. 103. affirmat, quòd offensa DEI mortalis Theologica sit infinita simpliciter, & num. 114. negat, quòd eadem offensa DEI mortalis Theologica, non habeat pro constitutivo ipsam infinitudinem Divinam tanquam formam tribuentem sibi denominationem infinitæ simpliciter. Sed hæc denominatio: *Offensa DEI mortalis Theologica*, non constituitur DEO. Ergo &c. Probatur Minor. Si prædicta denominatio constitueretur DEO, tunc DEUS posset importari in recto ejusdem denominationis, quia juxta Oppositos omne constitutivum rei importatur in recto ejusdem rei. Sed DEUS non potest importari in recto prædictæ denominationis. Ergo &c. Probatur Minor. Si DEUS posset importari in recto prædictæ denominationis, tunc eædem omnino secum essent ambæ hæ denominationes: *Offensa DEI mortalis Theologica*. Et. *Offensa DEI ac DEUS*, ut per se patet. Sed non sunt. Ergo &c. Probatur Minor. Si prædictæ denominationes ambæ essent omnino eædem secum, tunc possent de se verè prædicari ita: *Offensa DEI mortalis Theologica, est offensa DEI, ac* DEUS, siquidem illa, quæ sunt secum idem omnino, possunt de se verè affirmari, ut certum omnibus. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Prædictarum denominationum recta non identificantur secum adæquatè, ut per se patet. Ergo

prædictæ denominationes non possunt de se verè prædicari, juxta illud axioma secundùm Connotatistas Dialecticum: *Ad veram &c.* Dicent fortè, ut dicere debent Oppositi distinguendo sequelas hujus inversionis nostræ, ac concedendo, quòd hæc concretè sumpta denominatio: *Offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi ut talis*, constituatur DEO; secus eadem denominatio materialiter accepta &c. Hanc ego responsionem habeo ratam; etiam Nos ex præmeditato simili utemur solutione hujus 8væ objectionis Connotatisticæ. 2dò. Si aliqua requisita essentialia denominationis essent constitutiva ejusdem denominationis, tunc etiam hæc denominatio: *Homo adæquatè sumptus*, constitueretur anima rationali unita corpori, & corpore unito animæ rationali, distributivè sumptis quà talibus, ut certum est omnibus & maximè ipsimet R. P. Domaradzki, qui sola admittit constitutiva inadæquata, rejectis adæquatis. Ergo anima rationalis unita corpori, & corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia, possent importari in recto hominis adæquatè sumpti, ut certum est Oppositis. Ergo eædem omnino secum essent ambæ hæ denominationes: *Homo adæqtatè sumptus.* Et: *Anima rationalis unita corpori, ac corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia*, ut iterum certum est Oppositis. Atqui hoc non; ut probo. Prædictarum denominationum recta non identificantur secum adæquatè; quia rectum hominis adæquatè sumpti est totum compositum ex omnibus partibus humanis, præfatum siquidem totum est verè per casum rectum affirmabile de homine adæquatè sumpto, ut est extra dubium etiam Connotatistis; jam autem rectum prædicati est anima rationalis unita corpori & corpus unitum animæ rationali distributivè sumpta quà talia, quid enim aliud? Porro totum compositum

positum ex omnibus partibus humanis non identificatur adæquatè animæ rationali unitæ corpori, & corpori unito animæ rationali distributivè sumptis quà talibus, quia juxta omnes illud ab his distinguitur realiter inadæquatè. Ergo prædictæ denominationes non possunt de se verè affirmari, juxta illud axioma secundùm Connotatistas Dialecticum: *Ad veram &c.*

144. Directè distinguo sequelam. Si aliqua requisita essentialia denominationis, purè in obliquo importata, essent constitutiva, tunc etiam hæc concretè sumpta denominatio: *Paries habens albedinem sibi unitam*, in ratione albi constitueretur albedine & unione, concedo. Si aliqua requisita essentialia denominationis purè in obliquo importata, essent constitutiva, tunc etiam hæc materialiter, vel concretè sumpta denominatio: *Paries habens albedinem sibi unitam*, præcisè in ratione uniti albedini constitueretur albedine & unione, nego sequelam. Similiter distincta Minore dico, quòd præfata denominatio concretè sumpta in ratione albi constituatur & substantiâ parietis tanquam subjecto, & albedine tanquam forma, & unione tanquam applicatione formæ ad subjectum, sicut etiam juxta Oppositos hæc concretè sumpta denominatio: *Formalis offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi ut talis*, constituitur & ipsa secundùm se considerata formali offensa DEI mortali Theologica tanquam subjecto, & infinitudine DEI offensi tanquam forma, & debitâ advertentiâ ad offensam DEI tanquam applicatione. Eadem tamen materialiter sumpta denominatio: *Paries habens albedinem sibi unitam*, non constituitur albedine & forma, ut certum est omnibus. Imò eadem denominatio nec concretè sumpta præcisè in ratione uniti albedini, constituitur albedine, juxta insinuata num. 140. Unde sequitur, quòd *ratio albi &c*

bi & ratio uniti albedini, seu habentis unitam sibi albedinem, distinguantur realiter, ac merito. Tum quia etiam Angelo potest uniri albedo, & Angelus potest denominari unitus albedini, nec tamen potest denominari albus. Tum quia corpus Eucharisticum Christi probabiliùs habet sibi unitam albedinem panis, nec tamen est album albedine panis, ut utrumq; id advertitur optimè in Dissertatione Philosophica *Disp.* 1. num. 33. & 40 Probationi Minoris nego sequelam, quia universaliter partes physicæ totius physici & per aggregationem, distributivè sumptæ quà tales, importantur purè in obliquo ex insinuatis num. 134. nec possunt importari in recto Philosophicè tali; quis tamen dubitat, quòd prædictæ partes constituant totum? Ergo nulla est sequela Minoris. *1ma in contra ratio* non subsistit, quia Meritissimum de scientiis Nomen R. P. Adrianus Miaskowski in Dialectica Disp. 2. Quæst. 2. Puncto 3. num. 81. sic essentialiter physicè definit hominem: *Homo est compositum substantiale physicum, constans corpore & anima rationali secum unitis.* Juxta Doctissimum Auctorem Dissertationis Philosophicæ Disp. 1. num. 56. *Terminus denominativus quidditativè collectivè acceptus, in recto Philosophico importat solum compositum ex partibus, partes verò distributivè sumptas in obliquo Philosophicè tali.* Ego quoq; idem ab ipsa tenui Philosophia. Ergo non omnes Connotatistis Oppositi explicando denominationem aliquam, omnia in recto constitutiva ponunt. *2da quoq; ratio* non subsistit ex dictis num. 132.

145. Addo, quòd etiam Minor 2di argumenti oppositi num. 142. aliàs juxta me verissima, convictivè à R. P. Domaradzki non probetur. Tum quia hæc sequela Majoris: Si albedo & unio possent importari in recto prædictæ denominationis, tunc eædem omnino secum essent ambæ hæ denominationes:

minationes: *Paries habens albedinem sibi unitam.* Et: *Paries, albedo, ac unio*, supponit, quòd ly: *Paries, albedo, & unio* sit denominatio, ut per se patet. Porro hoc falsum est, ut probo. Quod est pars alicujus denominationis, vel aliquid adæquatè distinctum ab aliqua denominatione, illud non est eadem illa denominatio, v. g. quod est pars hominis vel aliquid adæquatè distinctum ab homine, illud non est homo; quod est pars Trinitatis vel aliquid adæquatè distinctum à Trinitate, illud non est Trinitas &c. Sed ly: *Paries, albedo & unio* est pars alicujus denominationis, vel aliquid adæquatè distinctum ab aliqua denominatione, scilicet est pars hujus denominationis: *Paries albus*, concretè sumptæ, ut suppono semper, vel aliquid adæquatè distinctum ab eadem, quia ly: *Paries, albedo, & unio*, est vel denominatum, ut paries; vel forma denominans, ut albedo; vel applicatio formæ denominantis ad denominatum, ut unio; jam autem denominatum est pars denominationis concretè sumptæ, ut est extra dubium, & forma denominans est pars ejusdem denominationis concretè sumptæ, ut certum est etiam Oppositis, & applicatio formæ denominantis ad denominatum est vel pars denominationis concretè sumptæ, vel juxta Oppositos connotatum ipsius adæquatè distinctum ab eadem. Ergo ly: *Paries, albedo, & unio*, non est eadem illa denominatio. Ergo deniq; ratione hujus suppositi illa sequela Majoris est omnino falsa. Tum quia falsum est etiam illud ejusdem probationis assumptum: *Quæ sunt secum idem omnino, possunt de se verè prædicari*; quia Essentia DEI Theologicè sumpta & generans in Divinis juxta fidem sunt secum omnino idem, & tamen secundùm fidem, generans non potest verè dici de prædicta Essentia. Tum quia, ut mittam alia, falsum est etiam ultimatum illud assumptum: *Ad veram prædicationem requiritur identitas adæqua-*

ta recti subjecti cum recto prædicati, ut patet ex declaratis §. superiori.

146. Objicitur 9nò Si aliquod requisitum purè in obliquo importatum esset constitutivum alicujus denominati, tunc Angelus A. similis Angelo B. constitueretur Angelo B. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si Angelus A. similis Angelo B. constitueretur Angelo B. tunc Angelus B. importaretur in recto hujus denominati: *Angelus A. similis Angelo B.* Tum quia præter datas superiùs num. 142. rationes, si constitutivum non importaretur in recto, tunc non differret à termino connexionis essentialis; qui etiam juxta Oppositos non importatur in recto, siquidem etiam juxta Oppositos in hoc denominato: *Petrus connexus cum DEO*, DEUS non importatur in recto. Tum quia si omne constitutivum adæquatum in omni denominatione se solo importatur in recto, tunc etiam omne constitutivum inadæquatum saltem cum alio importatur in recto, aliàs dicam pariter, quòd possit esse constitutivum adæquatum importatum purè in obliquo. Sed Angelus B. non potest importari in recto hujus denominati: *Angelus A. similis Angelo B.* Ergo &c. Probatur Minor. Si Angelus B. importaretur in recto hujus denominati: *Angelus A. similis Angelo B.* tunc de Angelo A. non esset verè affirmabile hoc prædicatum: *Angelus A. similis Angelo B.* Sed hoc non; vera enim juxta omnes est hæc affirmatio: *Angelus A. est Angelus A. similis Angelo B.* Ergo &c. Major probatur. Si Angelus B. importaretur in recto hujus denominati: *Angelus A. similis Angelo B.* tunc non esset identitas adæquata inter rectum subjecti & rectum prædicati hujus propositionis: *Angelus A. est Angelus A. similis Angelo B.* nam ex parte subjecti veniret in recto Angelus A. ex parte autem prædicati veniret in recto Angelus A. & Angelus B. inter quæ recta est identitas

inadæquata,

inadæquata, tanquam inter partem & totum. Ergo si &c. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 27. & R. P. Kobielski in Physica num. 74.

147. Respondeo invertendo argumenta contra Opponentes. *Imò*, Si aliquod requisitum esset constitutivum alicujus denominati, tunc offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi constitueretur DEO, ut docent Oppositi ex insinuatis num. 143. sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si prædicta offensa DEI constitueretur DEO, tunc DEUS importaretur in recto hujus denominati: *Offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi*, ut certum est Oppositis. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si DEUS importaretur in recto hujus denominati: *Offensa DEI* &c. tunc de offensa DEI non esset verè affirmabile hoc prædicatum: *Offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi.* Sed hoc non; vera enim juxta omnes est hæc affirmatio: *Offensa DEI mortalis Theologica est offensa DEI gravificata infinita dignitate DEI offensi.* Ergo &c. Probatur Major. Si DEus importaretur in recto hujus denominati: *Offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi*, tunc non esset identitas adæquata inter rectum subjecti & rectum prædicati hujus propositionis: *Offensa DEI mortalis Theologica est offensa DEI gravificata infinita dignitate DEI offensi*, nam ex parte subjecti veniret in recto offensa DEI mortalis Theologica, ex parte autem prædicati veniret in recto offensa DEI mortalis Theologica & DEUs, inter quæ recta est identitas inadæquata, tanquam inter partem & totum. Ergo si &c. Dicent fortè, ut dicere debent Oppositi, distinguendo sequelas hujus inversionis nostræ, ac concedendo, quòd offensa DEI mortalis Theologica concretè

sumpta, scilicet offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi, ut talis, constituatur DEO; secus offensa DEI mortalis Theologica materialiter accepta &c. Etiam hanc responsionem habeo ratam; Nos quoq; ex præmeditato eâdem ipsâ, non aliâ utemur solutione hujus 9næ objectionis. 2dò. Si aliquod requisitum esset constitutivum alicujus denominati, tunc homo adæquatè acceptus constitueretur anima rationali unita corpori, & corpore unito animæ rationali, distributivè sumptis quà talibus. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si homo adæquatè acceptus constitueretur anima rationali unita corpori, & corpore unito animæ rationali, distributivè sumptis quà talibus, tunc anima rationalis unita corpori, & corpus unitum animæ rationali distributivè sumpta quà talia importarentur in recto hujus denominati: *Homo adæquatè acceptus*, ut certum est Oppositis. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si anima rationalis unita corpori & corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia importarentur in recto hujus denominati: *Homo adæquatè acceptus*, tunc de homine adæquatè accepto non esset verè prædicabile hoc prædicatum: *Anima rationalis unita corpori & corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia.* Sed hoc non; vera enim juxta Connotatistas est hæc affirmatio: *Homo est anima rationalis unita corpori, & corpus unitum animæ rationali &c*, Ergo &c. Probatur Major. Si anima rationalis unita corpori & corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia, importarentur in recto hujus denominati: *Homo adæquatè acceptus*, tunc non esset identitas adæquata inter rectum subjecti & rectum prædicati hujus propositionis: *Homo adæquatè acceptus est anima rationalis unita corpori, & corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia*, nam ex parte subjecti

veniret

veniret in recto homo adæquatè acceptus, seu totum compositum ex omnibus partibus humanis, ex parte autem prædicati in recto venirent anima rationalis unita corpori, & corpus unitum animæ rationali, distributivè sumpta quà talia, inter quæ recta est identitas inadæquata tanquam inter totum & partes distributivè sumptas. Ergo si &c.

148. Directè distinguo sequelam. Si aliquod requisitum purè in obliquo importatum esset constitutivum alicujus denominati, tunc Angelus A. similis Angelo B. concretè sumptus constitueretur Angelo *B*, concedo sequelam in communiore sententia Philosophorum Connotatistis Oppositorum. Si aliquod requisitum purè in obliquo importatum esset constitutivum alicujus denominati, tunc Angelus A. similis Angelo B. materialiter sumptus constitueretur Angelo B. nego sequelam. Sed Angelus A. similis Angelo B. materialiter sumptus non constituitur Angelo B. concedo Minorem. Sed Angelus A similis Angelo B. concretè sumptus, non constituitur Angelo B. nego Minorem in communiore sententia Philosophorum Connotatistis Oppositorum. Ergo nullum requisitum purè in obliquo importatum est constitutivum ullius denominati, nego consequentiam. Distinctionem explico. Sicut v. g. paries albus, ita & Angelus A. similis Angelo B. potest sumi vel materialiter, vel concretè. Angelus A. similis Angelo B. materialiter sumptus, est Angelus A. similis Angelo B. sumptus præcisè secundùm entitatem Angeli A. qui defacto denominatur similis Angelo B. Angelus A. similis Angelo B. sumptus concretè, est Angelus A. similis Angelo B. sumptus tum secundùm entitatem Angeli A. qui defacto denominatur similis Angelo B. & est subjectum hujus denominationis: *Angelus A. similis Angelo B.* tum secundùm ipsam similitudinem in natura Angeli A. cum Angelo B. quæ denominat

Angelum

Angelum A, similem Angelo B, & est forma hujus denominationis: *Angelus A, similis Angelo B.* Hac posita explicatione terminorum dico, quòd Angelus A. similis Angelo B. materialiter sumptus non constituatur Angelo B, quia entitas aut substantia Angeli A, qui defacto denominatur similis Angelo B, certè non constituitur Angelo B, siquidem entitas aut substantia Angeli A, qui defacto denominatur similis Angelo B, ex se ab intrinseco potest esse sine Angelo B, ac proinde Angelus B, non est requisitum, consequenter nec constitutivum, imò nec Antonomasticum connotatum prædictæ entitatis Angelicæ. Sic etiam entitas aut substantia Petri, qui defacto denominatur habens unitam sibi albedinem, non constituitur albedine, seu accidente, ut certum est omnibus. Sic deniq; etiam juxta Oppositos offensa Divina sumpta pro ipsa actione vel omissione peccaminosa, quæ tanquam subjectum denominatur tam offensa Divina, quàm gravificata infinita dignitate DEI offensi, non constituitur infinita dignitate DEI offensi &c. Angelus tamen A, similis Angelo B, concretè sumptus juxta communiorem sententiam Philosophorum Connotatistis Oppositorum constituitur Angelo B, quia Angelus A, similis Angelo B, concretè sumptus constituitur suâ formâ, omne siquidem concretum etiam juxta Oppositos constituitur suâ formâ. Ergo Angelus A, similis Angelo B, concretè sumptus constituitur similitudine in natura Angeli A, cum Angelo B, quia prædicta similitudo est forma hujus denominationis: *Angelus A, similis Angelo B.* Ergo constituitur omnibus constitutivis dictæ similitudinis juxta illud commune axioma: *Constitutivum constitutivi est constitutivum constituti.* Ergo constituitur etiam Angelo B, quia complexum ex natura Angeli A, & natura Angeli B, non diversi ab Angelo A, sine dubio constituitur sicut naturâ Angeli

B,

B. ita & Angelo B. Iam autem similitudo in natura Angeli A. cum Angelo B. juxta communiorem & satis solidam Philosophorum sententiam in re est complexum ex natura Angeli A. & natura Angeli B. non diversi ab Angelo B. quid enim aliud? Certè similitudo prædicta non est natura Angeli A. qui defacto denominatur similis Angelo B. connotans essentialiter naturam Angeli B. quia natura Angeli A. qui defacto denominatur similis Angelo B. non connotat essentialiter naturam Angeli B. siquidem natura Angeli A. qui defacto denominatur similis Angelo B. ex se ab intrinseco potest esse sine natura Angeli B. sicut Petrus, qui defacto denominatur similis Paulo, ex se ab intrinseco potest esse sine Paulo; & sicut idem Petrus, qui defacto denominatur habens unitam sibi albedinem, ex se ab intrinseco potest esse sine albedine, &c.

149. Sic distincto 1mo objectionis argumento, 2do nego sequelam Majoris. *1mæ rationi* ipsius nego sequelam, quia licèt tam DEUS, qui est terminus connexionis v. g. Petri cum DEO, quàm anima Petri constitutiva Petri, non importentur in recto, hoc tamen non obstante inter prædicta hoc interest, quòd DEUS sit realiter adæquatè distinctus à Petro essentialiter connexo cum DEO, jam autem anima Petri non est realiter adæquatè distincta à Petro essentialiter constituto per eandem animam Petri. *2dæ rationi* nego sequelam, quia constitutivum adæquatum de suo constituto, v. g. collectio ex omnibus partibus essentialibus hominis de homine potest affirmari verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, ut patet in hac propositione: *Homo est totum compositum ex anima rationali & corpore humano unitis secum*; atq; in hac propositione sine dubio rectum prædicati adæquatè identificatur recto subjecti, quòd per Oppositos requiritur & sufficit ad omnem prædicationem veram. Ergo & in

meis,

meis, & in Connotatisticis principiis constitutivum adæquatum importatur in recto denominationis. E contra partes totius physici essentiales physicæ distributivè sumptæ ut tales, etiam in principiis Oppositorum de suo toto non possunt affirmari verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, falsa siquidem est ista v. g. propositio: *Totum physicum est qualibet sua pars essentialis physica*, nec in illa rectum prædicati adæquatè identificatur recto subjecti, siquidem partes totius physici essentiales physicæ distributivè sumptæ, realiter inadæquatè distinguuntur à suo toto. Ergo nec in meis, nec in Connotatisticis principiis constitutivum inadæquatum importatur in recto.

150. Addo, quòd prædicta objectio tota constanter utatur termino non denominationis, sed denominati, cùm tamen hoc loco in controversiam veniat potiùs denominatio quàm denominatum, aliudq; sit denominatum & aliud denominatio, siquidem denominatum est pars denominationis. Hinc tota prædicta objectio deberet corrigi, & in illa loco ly: *Denominati*, ponendum esset ly: *Denominationis*, quia Oppositi Connotatistis, Angelo B. constituunt non hoc denominatum: *Angelus A. similis Angelo B.* sed hanc denominationem concretam: *Angelus A. similis Angelo B.* Certè hoc denominatum: *Angelus A. similis Angelo B.* est entitas Angeli A. qui denominatur similis Angelo B. ac certissimum etiam Nobis est, quòd entitas Angeli A. qui denominatur similis Angelo B. non constituatur Angelo B. Addo præterea, quòd etiam Minor 2di argumenti oppositi num. 146. aliás juxtà me vera, convictivè ab Oppositis non probetur, possent enim alii dicere, quòd licèt de Angelo A. diverso specie ab Angelo B. non sit verè affirmabile hoc prædicatum: *Angelus A. similis Angelo B.* tamen de Angelo A. eodem specie cum Angelo B.

est

est verè affirmabile præfatum illud prædicatum, Possent ulteriùs dicere, quòd licèt non sit identitas adæquata inter rectum subjecti & rectum prædicati hujus propositionis: *Angelus A. diversus specie ab Angelo B. est similis Angelo B.* est tamen identitas adæquata inter rectum subjecti & rectum prædicati hujus propositionis: *Angelus A. idem specie cum Angelo B. est Angelus A. similis Angelo B.* in hac enim propositione 2da tam ex parte subjecti, quàm ex parte prædicati venit in recto & Angelus A. & Angelus B. sicut passim juxta Connotatistas in hac propositione: *Offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI offensi, ut talis, est infinita simpliciter*, tam ex parte subjecti quàm ex parte prædicati venit in recto & actio aut omissio peccaminosa, & infinita dignitas DEI offensi; ac proinde sicut juxta Oppositos in hac 2da propositione, ita pariter in 1ma est identitas adæquata inter rectum subjecti & rectum prædicati &c.

151. Objicitur 1*omò*. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc DEUS quà oppositus peccato, esset partialiter peccatum, cùm tamen DEUS quà oppositus peccato sit purè sanctissimus. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 26. R. P. Kobielski in Physica num. 76. ac R. P. Tuchołka in Logica num. 172. Respondeo invertendo argumentum contra Oppositos. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc DEUS quà oppositus peccato, essentialiter requireret exigeretq; peccatum, ut certum est Connotatistis, conceditq; sequelam R. P. Kobielski in Physica num. 77. & R. P. Tuchołka in Logica num. 172. Porro hoc grande inconveniens esse patebit ex declarandis §. 7mo; interim quòd DEUS quà oppositus peccato, essentialiter non requirat nec exigat peccatum, probo hac ratione, quam Nobis ipsa subministrat objectio. Ens

sanctissimum

sanctissimum non requirit nec exigit essentialiter peccatum; quomodo enim esset ens sanctissimum, si exigeret peccatum? Certè si ens volens peccatum non est sanctissimum, tantò magis ens exigens peccatum, non est sanctissimum. Sed DEUS quà oppositus peccato, est ens sanctissimum. Ergo DEus quà oppositus peccato, non requirit nec exigit essentialiter peccatum. Directè nego sequelam, quia imprimis juxta Nos, non omnia, sed aliqua nonnisi obliqua enumeráta in probationibus nostræ assertionis, sunt constitutiva denominationum aut rerum. Porro ex eo, quòd aliqua obliqua sint constitutiva denominationum, non sequitur quòd peccatum quoq; sit constitutivum DEI quà oppositi peccato; sicut ex eo, quòd aliqua animalia sint irrationalia, non sequitur, quòd Petrus quoq; sit irrationalis &c. Deinde, DEUS quà oppositus peccato, sicut juxta Connotatistas, ita & juxta me ab antiquo, non constituitur peccato, ac proinde non est partialiter peccatum. Ulterior hujus ratio est, 1mò. Entitas DEI non constituitur peccato, ut certum est omnibus. Sed DEUS quà oppositus peccato nihil aliud est, nisi entitas DEI, quia DEUS sicut per suam præcisè entitatem distinguitur adæquatè à peccato, ita per eandem præcisè entitatem opponitur peccato. Ergo &c. 2dò. Nec entitas DEI, nec ipsa oppositio DEI cum peccato constituitur peccato. Ergo DEUS quà oppositus peccato non constituitur peccato. 1ma pars assumpti est certa, 2da probatur. Tum quia oppositio DEI cum peccato, realiter adæquatè identificatur DEO, nullum enim est fundamentum prædictam oppositionem realiter distinguendi à DEO. Ergo sicut DEUS non constituitur peccato, ita quoq; oppositio DEI cum peccato non constituitur peccato. Hinc præfata oppositio DEI cum peccato, est forma metaphysica DEI oppositi peccato, sicut connexio Petri cum DEO, est forma

meta-

metaphysica Petri connexi cum DEO, & sicut realis distinctio DEI à creatura est forma metaphysica DEI realiter distincti à creatura &c. Tum quia sicut distinctio DEI à peccato non constituitur peccato, ita & oppositio DEI cum peccato non constituitur peccato. Tum quia sicut oppositio contradictoria existentiæ cum negatione existentiæ non constituitur negatione existentiæ, & sicut oppositio contraria amoris cum odio non constituitur odio, ita quoque oppositio DEI cum peccato non constituitur peccato. 3*tiò*. Si DEUS quà oppositus peccato constitueretur peccato, tunc DEUS quà oppositus peccato esset complexum seu binarius ex DEO & peccato. Sed DEUS quà oppositus peccato non est complexum ex DEO & peccato, sicut Petrus quà connexus cum DEO & quà distinctus à DEO non est complexum ex Petro & DEO. Ergo &c. 4*tò*. Si DEUS quà oppositus peccato constitueretur peccato, tunc peccatum esset requisitum essentiale ad esse DEI oppositi peccato, quia universaliter omne Antonomasticum constitutivum rei ex suo genere est requisitum essentiale ad esse rei. Sed peccatum non est requisitum essentiale ad esse DEI oppositi peccato, aliàs DEUS oppositus peccato non posset ullatenus esse sine peccato, quod certè falsum est, quia DEUS defacto ab æterno fuit sicut sine omni creatura libera, ita & sine peccato. Ergo &c. 5*tò*. DEUS quà distinctus â peccato, etiam concretè sumptus, non constituitur peccato, quia DEUS quà distinctus à peccato concretè sumptus sufficienter constituitur entitate DEI tanquam subjecto, & distinctione DEI à peccato tanquam forma metaphysica hujus concreti: *DEUS distinctus à peccato*. Ergo pariter DEUS quà oppositus peccato, etiam concretè sumptus, non constituitur peccato.

152. Dices. Si obliqua essent constitutiva de-

nominationum, tunc saltem DEUS, quà dissimilis in natura peccato, esset partialiter peccatum, cùm tamen DEUS, quà dissimilis in natura peccato, sit purè sanctissimus. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 76. ac R. P. Tuchołka in Logica num. 172. Respondeo invertendo argumentum contra Oppositos. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc DEUS quà dissimilis in natura peccato, essentialiter requireret exigeretque peccatum, ut admittere debent Oppositi. Porro hoc falsum esse, sic probo. Ens sanctissimum non requirit nec exigit essentialiter peccatum, ut declaratum numero superiore. Sed DEUS, quà dissimilis in natura peccato, est ens sanctissimum. Ergo DEUS, quà dissimilis in natura peccato, essentialiter non requirit, nec exigit peccatum. Directè *Imò*. Nego sequelam in mea Philosophica sententia, docui enim, quòd synonyma dissimilitudini in natura, diversitas unius rei ab alia, v. g. D E I à creatura, non constituatur creaturâ ex hac potissimùm ratione. Solâ ablatâ creaturâ non tollitur diversitas D E I à creatura. Ergo diversitas D E I à creatura, non constituitur creaturâ. Consequentia patet, quia universaliter solo ablato constitutivo rei tollitur res. Antecedens probatur. Quo solo ablato DEUS differt prædicato definitivo à creatura, illo solo ablato non tollitur diversitas DEI à creatura, quia diversitas DEI à creatura est differentia D E I à creatura in prædicato definitivo. Sed solâ ablatâ creaturâ DEUS differt prædicato definitivo à creatura. Ergo &c. Probatur Minor. Tum quia si solâ ablatâ creaturâ DEUS non differret prædicato definitivo à creatura, tunc DEUS non differret prædicato definitivo à creatura non existente. Sed DEUS differt prædicato definitivo à creatura etiam non existente, sicut Petrus differt prædicato definitivo à bove etiam non existente, & sicut idem

Petrus distinguitur numero à Paulo etiam non existente, ac ali s definitum per suum conceptum definitivum non differret ab omni non ipso. Ergo &c. Tum quia solâ ablatâ creaturâ non aufertur ullum prædicatum definitivum DEI. Ergo solâ ablatâ creaturâ manet tota definitio DEI. Ergo solâ ablatâ creaturâ manet id totum, quidquid discriminat DEUM ab omni non ipso. Ergo ablatâ solâ creaturâ manet id totum, quidquid discriminat DEUM à creatura. Ergo ablatâ solâ creaturâ manet id totum, per quod differt DEUS à creatura. Ergo solâ ablatâ creaturâ DEUS differt à creatura. 2dò. concedo sequelam in communiore sententia Philosophorum Connotatistis Oppositorum, quia terminus hic: *DEUS dissimilis in natura peccato*, affectus hac particulâ reduplicativâ: *Quà*, sumitur vel formaliter secundùm ipsam præcisè formam, vel concretè tam secundùm subjectum, quàm secundùm formam, id quòd agnoscit etiam ipse objiciens R.P. Kobielski in Physica num. 72 dicens: *Universaliter terminus particulâ reduplicativâ affectus debet sumi vel formaliter vel concretè tantùm, ut patet omni inductione.* Porro in prædicta communiore sententia & hoc concretum: *DEUS dissimilis in natura peccato*, constituitur entitate peccati; & forma, quæ est dissimilitudo *DEI* cum peccato, constituitur entitate peccati, sicut ex insinuatis num. 148 juxta eandem sententiam similitudo in natura Angeli A cum Angelo B constituitur naturâ Angeli B. Ratio in contra opposita non convincit, hæc enim potest negari simpliciter in sententia prædicta, quia in hac denominatione: *DEUS quà dissimilis in natura peccato*, terminus hic: *DEUS dissimilis in natura peccato*, particulâ reduplicativâ affectus, sumitur vel concretè, vel formaliter. Si 1*mum*. Ergo falsum est, quòd DEUS, quâ dissimilis in natura peccato, sit purè sanctissimus, quia hoc concretum: *DEUS dissimilis*

in natura peccato, est solùm partialiter, nempe secundùm entitatem DEI, sanctissimum. Si 2*dum*. Ergo iterum falsum est, quòd DEUS, quà dissimilis in natura peccato, sit purè sanctissimus, quia dissimilitudo in natura DEI cum peccato est quid solùm partialiter, nempe secundùm entitatem DEI, sanctissimum.

153. Urgetur contra prædictam responsionem 2dam. Si DEUS quà dissimilis in natura peccato, constitueretur entitate peccati, tunc peccatum esset vel subjectum vel forma hujus concreti: *DEUS dissimilis in natura peccato*, quia universaliter omne constitutivum cujuscunque concreti est vel subjectum vel forma concreti. Sed neutrum dici potest; tam enim hoc implicat ut DEUS sit subjectum vel forma peccati, quàm hoc, ut peccatum sit subjectum vel forma DEI. Ergo &c. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 78. Respondeo retorquendo argumentum. Si DEUS quà dissimilis in natura peccato, Antonomasticè connotaret entitatem peccati, tunc solò ablato peccato tolleretur DEUS dissimilis in natura peccato. Ergo solo ablato peccato tolleretur entitas DEI simpliciter sumpta sine ullo prorsus addito restringente; quia juxta R. P. Kobielski in Physica num. 78. *Sicut DEUS per suam unicissimam entitatem distinguitur à peccato, ita per eandem præcisè entitatem opponitur peccato*, ac proinde & est dissimilis in natura eidem peccato. Ergo denique entitas DEI non potest ullatenus esse sine peccato. Directè nego sequelā cum sua ratione. Tum quia etiam debita applicatio formæ ad subjectū est constitutivum concreti. Tum quia etiam pars subjecti & formæ est constitutivum concreti, juxta illud cōmune axioma: *Constitutivum constitutivi est constitutivum constituti*; & tamen pars subjecti non est subjectū concreti, v. g. pars aggregati ex Deo & Petro non est aggregatū ex Deo et Petro, quod aggregatum est subje-

est subjectum hujus concreti: *Binarius ex DEO & Petro.* Similiter pars formæ non est forma concreti, v. g. pars binarietatis non est binarietas, quæ binarietas est forma hujus concreti: *Binarius ex DEO & Petro.* Tum quia binarius v. g. ex Michàéle & Gabriele constituitur Gabriele, ut certum est omnibus; & tamen Gabriel nec est subjectum nec est forma hujus concreti: *Binarius ex Michàéle & Gabriele*, quia imprimis illud est subjectum dicti concreti, quod est capax denominari binarius ex Michàéle & Gabriele, sicut illud est subjectum hujus concreti: *Album*, quod est capax denominari album. Sed Gabriel non est capax denominari binarius ex Michàéle & Gabriele, quia de Gabriele non potest verè enuntiari, quòd sit binarius ex Michàéle & Gabriele. Ergo Gabriel non est subjectum dicti concreti. Solum igitur aggretatum ex Michàéle & Gabriele est subjectum ejusdem concreti, jam autem Gabriel est nonnisi pars dicti subiecti. Deinde forma dicti concreti est binarietas adæquatè identificata binario ex Michàéle & Gabriele. Sed Gabriel non est binarietas adæquatè identificata prædicto binario, quia Gabriel inadæquatè distinguitur à prædicto binario. Ergo Gabriel non est forma dicti. Quare constitutivum concreti est potiùs vel subjectum, vel forma, vel applicatio formæ ad subjectum, vel pars subjecti aut formæ. Porro in communiore sententia Philosophorum Connotatitis Oppositorum, peccatum est pars dissimilitudinis DEI cum peccato, ut insinuatum numero superiore. Ergo peccatum est pars formæ hujus concreti: DEUS *dissimilis in natura peccato.* Ergo peccatum est constitutivum tam formæ prædicti concreti, quàm ipsius concreti. Addo 1mò. Passim, etiam juxta Oppositos infinita dignitas DEI offensi, ac proinde DEUS, est forma offensæ Divinæ mortalis Theologicæ gravificatæ infinita dignitate DEI

offensi. Ergo etiã in sententia Oppositorum falsum est, quòd implicet ut DEUS sit forma peccati. Hinc iterum retorqueri potest argumentum. Addo 2dò. Cognitio Petri est forma hujus denominati: *DEUS cognitus à Petro*, ut certum est omnibus, quia cognitio Petri denominat DEUM cognitum à Petro. Ergo etiam peccatum Petri est forma hujus denominati: *DEUS offensus à Petro*, quæ enim est vel ad speciem disparitas? Ergo peccatum est forma DEI quia hoc denominatum: *DEUS offensus à Petro*, utiq; est DEUS Ergo falsum est quòd implicet, ut peccatum sit forma DEI.

154. Objicitur 11mò Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc peccatum quà oppositum DEO, esset partialiter DEUS; cùm tamen potiùs peccatum, quà oppositum DEO, sit purè malum. Ita R. P. Domaradzki in Cõpendio Connotatorum num. 26. R. P. Kobielski in Physica num 76 R. P. Tuchołka in Logica num. 172. ac R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 431 & 445. Respondeo invertendo argumentum contra Oppositos. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc peccatum quà oppositum DEO, & non constitueretur DEO ut supponitur hìc ab Oppositis, & constitueretur DEO ut probo. Peccatum Theologicum, gravificatum infinita dignitate DEI offensi ut tale, constituitur DEO, ut passim docetur à Connotatistis tenentibus, quòd immediatè circumscriptum peccatum etiam veniale sit infinitum simpliciter infinitudine ipsius DEI. Sed peccatum quà oppositum DEO, saltem aliquod, est peccatum Theologicum, gravificatum infinita dignitate DEI, ut tale. Ergo peccatum, quà oppositum DEO, saltem aliquod constituitur DEO. Directè nego sequelam ex dictis num. 151. in simili, vel in gratiam Opponentium distinguo. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc peccatum quà oppositum DEO, præcisè in ratione oppositi esset partialiter DEUS, seu constitueretur DEO,

nego sequelam, quia sicut, etiam juxta me ex dictis num. 151. DEUS quà oppositus peccato non constituitur peccato, ita pariter peccatum quà oppositum DEO præcisè in ratione oppositi non constituitur DEO. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc peccatum quà oppositum DEO, in ratione formalis personalis offensæ Divinæ Theologicæ gravificatæ infinita dignitate DEI offensi constitueretur DEO, permitto sequelam tanquam materialiter bonam, quia sicut hoc concretum: *Album*, constituitur albedine, ita quoque hoc concretum: *Formalis offensa DEI mortalis Theologica gravificata infinita dignitate DEI*, constituitur infinita dignitate DEI tanquam forma prædicti concreti, ac proinde constituitur DEO. Ulteriùs dico, quòd peccatum, quà oppositum DEO, præcisè in ratione oppositi sit purè malum; idem tamen peccatum in ratione formalis personalis offensæ Divinæ Theologicæ gravificatæ infinita dignitate DEI, est solùm partialiter, scilicet secundùm entitatē peccati malum, jam autem secundùm entitatem infinitæ dignitatis DEI non est malum, sicut homo secundùm entitatem animæ rationalis est spiritualis, jam autem secundùm entitatem corporis non est spiritualis &c. Idem tenentur dicere Oppositi ad argumentum nostræ retorsionis.

135. Objicitur 12mò. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc unus tantùm Angelus similis alteri, essent duo Angeli, ac proinde unus tantùm Angelus non esset unus tantùm, sed duo. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 17. ac R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 431, ad finem. Respondeo invertendo argumentum contra Oppositos. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc unus tantùm Angelus similis alteri, essentialiter requireret ac exigeret alterum Angelum, quia

essentialiter connotaret alterum Angelum, ut certum est Oppositis. Ergo unus Angelus etiam sine hoc addito restringente: *Similis alteri*, essentialiter requireret ac exigeret alterum Angelum, quia juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 35. *à termino restricto ad irrestrictum valet consequentia.* Videantur dicta superiùs num. 137. Ergo deniq; unus Angelus non potest ullatenus esse sine altero Angelo. Directè nego sequelam, quia juxta Nos non unus Angelus in natura similis alteri Angelo, sed similitudo in natura unius Angeli cum altero Angelo est in re binarius Angelorum. Porro aliud est unus Angelus similis alteri, & aliud est similitudo in natura unius Angeli cum altero Angelo, quia unus Angelus similis alteri est denominatum, jam autem similitudo in natura unius Angeli cum altero est forma denominans, realiter inadæquatè distincta ab uno Angelo eodem specie cum altero Angelo. Recolantur dicta num. 145. & 150. Utinam id Doctissimi Connotatistæ Nostri apprehenderent! argumenta illorum certè non æquivocarent tantopere

156. Objicitur 13*tio*. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc Christus quà dissimilis Iudæ esset partialiter Iudas, & è contra Iudas quà dissimilis Christo esset partialiter Christus. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 76. & R. P. Tuchołka in Logica num. 172. ac R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 431. ad finem, & num. 446. Respondeo invertendo argumentum contra Oppositos. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc Christus quà dissimilis Iudæ, essentialiter requireret & exigeret Iudam. Ergo Christus etiam simpliciter sine reduplicatione dissimilis Iudæ essentialiter requireret & exigeret Iudam, quia juxta R. P. Kobielski in Physica num. 78. *universaliter quæ propositio est ve-*

ra cum reduplicatione, est vera & sine reduplicatione, seu simpliciter, ut patet universali inductione. Porro Christus dissimilis Iudæ non requirit nec exigit essentialiter Iudam, quia neq; exigit essentialiter illum existentem, ut est extra dubium, neq; exigit essentialiter illum possibilem, nam etiam impossibilitato Iuda Christus esset dissimilis Iudæ. Directè nego sequelam, quia ex una parte Christus quà dissimilis Iudæ est Christus quà dissimilis Iudæ in qualitate, scilicet in sanctitate, certè enim non in natura. Ex altera parte in hac denominatione: *Christus quà dissimilis Iudæ in qualitate sanctitatis*, terminus hic: *Christus dissimilis Iudæ in qualitate sanctitatis*, particulâ reduplicativâ affectus, vel sumitur formaliter pro ipsa forma, quæ est dissimilitudo Christi cum Iuda in qualitate sanctitatis, vel sumitur concretè pro hoc concreto: *Christus dissimilis Iudæ in qualitate sanctitatis.* Si 1*mum*; falsum est, quòd Christus quà dissimilis Iudæ in qualitate sanctitatis constituatur Iudâ, quia dissimilitudo Christi cum Iuda in qualitate sanctitatis juxta meam & plurium aliorum in Philosophia sententiam sufficienter constituitur sanctitate Christi & malitia Iudæ; jam verò entitate Iudæ, imò & entitate Christi non constituitur, sicut similitudo parietis A. cum pariete B, in albedine sufficienter constituitur albedine unita parieti A. & albedine unita parieti B jam verò entitate parietis B. imò & entitate parietis B. non constituitur. Si 2*dum*; falsum iterum est, quòd Christus quà dissimilis Iudæ in qualitate sanctitatis constituatur Iudâ, quia hoc concretum: *Christus dissimilis Iudæ in qualitate sanctitatis*, juxta insinuatam suprà sententiam sufficienter constituitur entitate Christi tanquam subjecto, & sanctitate Christi ac malitia Iudæ tanquam forma, jam verò entitate Iudæ non constituitur, sicut hoc concretum: *Paries A similis parieti B in*

albedine sufficienter constituitur entitate parietis A tanquam subjecto, & albedine unita parieti A ac albedine unita parieti B tanquam forma, jam verò entitate parietis B (quæ est connotatum prædictæ denominationis, non tamen Antonomasticum) non constituitur. Idem proportionatê dicendum de Iuda quà dissimili Christo &c.

157. Objicitur 14*tò*. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc Christus quà portatus ab asino esset partialiter asinus, & è contra asinus portans Christum esset partialiter Christus; quæ etiam audire sine horrore nefas grande est. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 76. ac R. P. Tucholka in Logica num. 172. putantq; se, hoc imbelli jumento ferociùs in Nos invehi, quàm Bucephalo. Respondeo retorquendo contra Oppositos argumentum. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc Christus quà portatus ab asino, essentialiter requireret & exigeret asinum, ac è contra asinus portans Christum essentialiter requireret exigeretq; Christum, quia juxta Oppositos essentialiter connotaret ille asinum portitorem, hic Christum portatum. Ergo Christus etiam simpliciter sine reduplicatione, portatus ab asino, essentialiter requireret ac exigeret asinum, ut patet ex insinuatis numero superiore in simili. Porro simpliciter falsa est hæc propositio: *Christus portatus ab asino essentialiter requirit ac exigit asinum*. Tum quia sicut DEUS amatus à Petro non exigit essentialiter Petrum, ita Christus portatus ab asino non exigit essentialiter asinum, ut utrumq; id talibus declaro Syllogismis. DEUS, qui defacto denominatur amatus à Petro, non exigit essentialiter Petrum. Sed DEUS amatus à Petro, est DEUS, qui defacto denominatur amatus à Petro. Ergo DEUS amatus à Petro non exigit essentialiter Petrum. Similiter Christus, qui defacto denominatur portatus

tus ab aſino, non exigit eſſentialiter aſinum. Sed Chriſtus portatus ab aſino, eſt Chriſtus, qui defacto denominatur portatus ab aſino. Ergo Chriſtus portatus ab aſino non exigit eſſentialiter aſinum. Tum quia datur defacto Chriſtus portatus ab aſino, non exiſtente in rerum natura aſino. Ergo Chriſtus portatus ab aſino non exigit eſſentialiter aſinum, aliàs Chriſtus portatus ab aſino haud poſſet exiſtere non exiſtente in rerum natura aſino, quia univerſaliter ens reale poſitivum eſſentialiter exigens aliam entitatem realem poſitivam, non poteſt exiſtere non exiſtente eadem entitate reali poſitiva. Directè nego ſequelam, quia hoc concretum: *Chriſtus portatus ab aſino*, ſufficienter conſtituitur entitate Chriſti tanquam ſubjecto, & bajulatione, quâ Chriſtus eſt bajulatus ab aſino, tanquam forma, asino autem non conſtituitur, ut etiam ſuprà dictum eſt toties ad inſtantias ſimiles. Idem proportionatè dicendum de aſino quà portante Chriſtum.

158. Objicitur 15*tò*. Si obliqua eſſent conſtitutiva denominationum, tunc miles exiſtens in exercitu eſſet miles & exercitus, muſca exiſtens in mundo eſſet muſca & mundus. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 27. R. P. Kobielski in Phyſica num. 76 ac R. P. Tuchołka in Logica num. 172. Reſpondeo invertendo argumentum contra Oppoſitos. Si obliqua eſſent Antonomaſtica connotata denominationum, tunc miles exiſtens in exercitu eſſentialiter requireret ac exigeret exercitum, utpote juxta Oppoſitos eſſentialiter connotans exercitum; & ſimiliter muſca exiſtens in mundo, eſſentialiter requireret ac exigeret mundum. Porro hoc utrumq; eſt falſum. Tum quia miles, qui denominatur exiſtens in exercitu, non exigit eſſentialiter exercitum, utpote potens deſerere exercitum vel manere etiam deleto exercitu. Sed miles exiſtens in exercitu eſt miles, qui denominatur

denominatur existens in exercitu. Ergo &c. Similiter musca, quæ denominatur existens in mundo, non exigit essentialiter mundum, utpote absolutè potens existere annihilato divinitus mundo. Sed musca existens in mundo est musca, quæ denominatur existens in mundo. Ergo &c. Tum quia homo, qui existit in carcere, non exigit essentialiter carcerem; dæmon, qui existit in obsesso corpore, non exigit essentialiter obsessum corpus &c. Ergo pariter miles, qui existit in exercitu, non exigit essentialiter exercitum; & musca, quæ existit in mundo, non exigit essentialiter mundum. Sed miles existens in exercitu, est miles qui existit in exercitu; & musca existens in mundo, est musca quæ existit in mundo. Ergo miles existens in exercitu non exigit essentialiter exercitum, & musca existens in mundo non exigit essentialiter mundũ &c. Directè nego sequelâm, quia neq; hoc denominatum, neq: etiam hæc denominatio concreta: *Miles existens in exercitu*, constituitur exercitu, seu collectione militum, ut probo singulatim. 1*mò*. Quod constituitur exercitu, illud requirit & exigit essentialiter exercitum, quià universaliter omne constitutum essentialiter requirit ac exigit suum constitutivum Antonomasticè tale. Sed hoc denominatum: *Miles existens in exercitu*, non requirit, nec exigit essentialiter exercitum, ut declaratum in responsione indirecta. Ergo denominatum illud non constituitur exercitu. 2*dò*. Nomine militis existentis in exercitu vel significatur homo præcisè inauguratus exercitui, vel significatur homo & inauguratus exercitui, & simul actu existens in castris. Si 1*mum*. Ergo hæc denominatio concreta: *Miles existens in exercitu*, non constituitur exercitu sumpto pro collectione militum, quia homo inauguratus exercitui, quà præcisè talis, etiam concretè sumptus, sufficienter constituitur entitate

militis

militis tanquam ſubjecto, & contractu mutuo inter Ducem & hominem profeſſum militiam, ſeu obligatione Ducis ad ſolvendum ſtipendium, & obligatione hominis ad parendum Duci. Si 2*dum*. Ergo iterum hæc denominatio concreta: *Miles exiſtens in exercitu*, non conſtituitur exercitu ſumpto pro collectione militum, quia homo & inauguratus exercitui, & ſimul actu exiſtens in caſtris, ſufficienter conſtituitur entitate militis tanquam ſubjecto, & prædicto contractu, ac ubicatione ejusdem militis in aliqua parte illius loci, quem occupant caſtra. Ergo denique miles exiſtens in exercitu, etiam prout eſt pars actualis exercitûs, non conſtituitur exercitu, quia nomine militis exiſtentis in exercitu, prout iſte eſt pars actualis exercitûs, non poteſt quidquam intelligi, nisi vel homo præcisè inauguratus exercitui, vel homo & inauguratus exercitui, & ſimul actu exiſtens in caſtris &c. Firmatur. Hæc denominatio concreta: *Petrus exiſtens in loco extrinſeco A.* non conſtituitur loco extrinſeco A. ſed conſtituitur tantùm entitate Petri, & ubicatione ipſius in loco A. Ergo & hæc denominatio concreta: *Miles exiſtens in exercitu*, non conſtituitur exercitu. Idem proportionatè dicendum de muſca exiſtente in mundo. Addo, quòd etiam in ſententia eorum, qui docent hanc denominationem: *Miles exiſtens in exercitu*, conſtitui exercitu, falſa ſit ſupradicta ſequela, quia ſicut Petrus conſtitutus animâ non eſt Petrus & anima [falſa ſiquidem eſt hæc propoſitio: *Petrus eſt Petrus & anima*, cùm falſa ſit hæc pars illius: *Petrus eſt anima*) ita miles exiſtens in exercitu etiam conſtitutus exercitu, non eſt miles & exercitus, falſa ſiquidem eſt hæc propoſitio: *Miles exiſtens in exercitu eſt miles & exercitus*, cùm falſa ſit hæc pars illius: *Miles exiſtens in exercitu eſt exercitus*, &c.

159. Objicitur 16*tò*. Si obliqua eſſent conſtitutiva

tutiva denominationum, tunc Petrus habens calceum, vestem, equum asinum, esset Petrus, calceus, vestis, equus, asinus. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 76. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientem Doctissimum. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc Petrus habens calceum &c. essentialiter requireret ac exigeret calceum &c. utpote juxta Opponentem & alios Anticonstitutivistas essentialiter connotans calceum &c. Porro etiam hoc falsum est, quia Petrus, qui est, & denominatur habens calceum &c non exigit essentialiter calceum &c. Sed Petrus habens calceum &c est Petrus, qui est, & denominatur habens calceum &c. Ergo &c. Nec juvat, si dicatur, quòd Petrus habens v. g. calceum, vel Petrus, qui habet calceum, non possit simul non habere calceum, esse sine calceo &c. Tum quia licèt Petrus habens calceum, vel Petrus qui habet calceum, potentiâ simultatis non possit simul non habere calceum, esse sine calceo, tamen simultate potentiæ potest simul non habere calceum, esse sine calceo, quatenus Petrus habens calceum, vel Petrus qui habet calceum, habet potentiam etiam ad non habendum calceum, licèt non habeat potentiam ad conjungendam simul habitionem calcei cum non habitione ejusdem. Ergo eo ipso Petrus habens calceum, vel Petrus qui habet calceum, non exigit essentialiter calceum. Tum quia etiam dato hoc, non concesso, quòd Petrus habens calceum, vel Petrus qui habet calceum, non possit simul non habere calceum; quid tum? *Ergo Petrus habens calceum, vel Petrus qui habet calceum, exigit essentialiter calceum*, nulla est prorsus consequentia, sicut nulla est ista: *DEUS conservans Angelum, vel DEUS qui conservat Angelum, non potest simul non conservare Angelum. Ergo DEUS conservans Angelum, vel DEUS qui conservat Angelum,*

lum, exigit essentialiter Angelum &c. Directè nego sequelam. quia etiam hoc concretum: *Petrus habens calceum, vestem, equum, asinum*, sufficienter constituitur entitate Petri tanquam subjecto, & habitione calcei, vestis &c. tanquam forma, jam autem calceo, veste &c. non constituitur. Addo, quòd etiam in sententia eorum, juxta quos prædictum concretum constituitur calceo, veste, equo asino, falsa sit supradicta sequela conformiter ad ea, quæ insinuata sunt ad finem numeri superioris.

160. Objicitur 17mò. Obliqua impertinenter se habentia, item obliqua requisita essentialiter distincta adæquatè à re, item affectiones terminorum in denominationibus poni solitæ v. g. adverbia, non sunt constitutiva earundem denominationum. Ergo pariter omnia alia obliqua. Firmatur Non dantur recta non constitutiva rerum, quia omne quod importatur in recto rei vel denominationis, est constitutivum ejusdem, ut per nullam instantiam infringi potest. Ergo pariter non dantur obliqua constitutiva rerum, quia quæcunque ratio probat Antecedens, eadem probat Consequens. Ita R. P. Kobielski in Physica num. 81. Respondeo invertendo argumentum contra Objicientem. Obliqua denominationum impertinenter se habentia ad denominationes, non sunt Antonomastica connotata denominationum, quia præfata obliqua non requiruntur essentialiter ad denominationes, aliàs non impertinenter se haberent ad illas. Ergo pariter omnia alia obliqua denominationum non sunt Antonomastica connotata denominationum. Item obliqua essentialiter requisita adæquatè distincta à re. sunt adæquatè distincta à re, ut per se patet. Ergo pariter omnia alia obliqua adæquatè distinguuntur à re. Ergo & totum adæquatè distinguitur à sua parte physica, quia totum etiam juxta Oppositos est obliquum suæ partis physicæ, utpote illius

lius connotatum Antonomasticum secundùm eosdem. Item affectiones terminorum in denominationibus poni solitæ, v.g. adverbia, non includunt ullum constitutivum denominationum. Ergo pariter omnia alia obliqua denominationum non includunt ullum constitutivum earundem denominationum. Ergo & binarius v. g. ex DEO & anima Petri (qui etiam juxta Oppositos est obliquum Petri, utpote non affirmabilis verè per casum rectum de Petro) non includit ullum constitutivum Petri; quod evidenter est falsum. Confirmationis quoque argumentum inverto. Non datur rectum prædicati inadæquatè distinctum à recto subjecti, quia etiam juxta Objicientem rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti, ut patet ex allegatis num. 65. Ergo pariter non datur constitutivum rei inadæquatè distinctum à re. Directè transito assumpto nego consequentiam, quia non est ostendibile ullum obliquum denominationis impertinenter se habens ad denominationem, quod sit constitutivum rei, aliàs enim eo ipso non impertinenter se haberet ad denominationem, siquidem omne constitutivum rei pertinenter se habet ad rem constitutam. Similiter non est ostendibile ullum obliquum essentialiter requisitum ad esse rei, adæquatè distinctum à re, quod sit constitutivum rei, & aliàs illud requisitum ad esse rei adæquatè distinctum á re, non esset adæquatè distinctum à re, siquidem nullum constitutivum rei potest adæquatè distingui ab illa rei, quam constituit. E contra est ostendibile aliquod obliquum rei, quod sit constitutivum rei, quia (ut mittam alia in probationibus assertionis declarata) anima rationalis unita corpori est obliquum hominis, utpote non affirmabilis verè identicè simpliciter per copulam: *Est*, de homine, falsa siquidem est hæc propositio: *Homo est anima rationalis unita corpori*; & tamen prædicta

dicta anima est constitutivum hominis, ut certum est omnibus. Transivi assumptum hujus objectionis; quia aliquæ objectivæ affectiones terminorum in denominationibus poni solitæ, seu objecta prædictarum affectionum aliquarum sunt constitutiva denominationum, ut patet in his denominationibus: *DEUS summè bonus. Optimus Philosophorum excellenter doctus*; certè enim in 1ma denominatione objectum hujus adverbii: *Summè*, id est summitas bonitatis, est constitutivum hujus denominationis: *DEUS bonus*; & in denominatione 2da objectum hujus adverbii: *Excellenter*, scilicet excellentia doctrinæ, est constitutivum hujus denominationis: *Optimus Philosophorum* &c' Hinc potiùs pro nobis ita inverto 3tiam assumpti partem. Aliquæ affectiones terminorum in denominationibus poni solitæ, sunt constitutiva earundem denominationum. Ergo & aliqua obliqua denominationum sunt constitutiva earundem. *Confirmationi* nego consequentiam ex simili ut suprà ratione, quia scilicèt non est ostendibile ullum rectum rei aut denominationis, quod non sit constitutivum rei aut denominationis, jam verò est ostendibile, & ostensum est superiùs aliquod obliquum rei constitutivum ejusdem rei.

161. Objicitur 18vò. Si obliqua essent constitutiva denominationum, tunc hoc denominatum: *Angelus cognoscens* (quod juxta Oppositos est totum accidentale) constitueretur cognitione in obliquo importata. Sed hoc non. Ergo &c' Probatur Minor. Si prædictum denominatum constitueretur cognitione in obliquo importatata, tunc hoc totum accidentale: *Angelus cognoscens*, esset ipsa pars actualis, siquidem juxta Oppositos tam hoc totum accidentale: *Angelus cognoscens*, quàm Angelus ut est pars actualis ejusdem totius, dicunt constitutivè Angelum in recto, cognitionem autem in obliquo; imò Oppositi passim

docent, quòd universaliter omnis pars ut actualis est totum. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Antecedens. Tum quia miles ut existens in exercitu, non est exercitus. Musca ut existens in mundo, non est mundus. Una Persona Divina ex tribus non est Trinitas Sanctissima Personarum. Persona Divina 3tia ut 3tia non est 1ma & 2da. Ergo etiam pars ut constituens totum, non est ipsum totum. Consequentiam & paritas & à priori probat illud principium: *Ad veram prædicationem requiritur adæquata realis identitas recti subjecti cum recto prædicati.* Tū quia si pars ut constituens totū est ipsū totū. Ergo v. g. Michàël ut actu constituens binarium Angelorum, est binarius Angelorum, ac similiter Gabriel ut actu constituens eundem binarium, est idem binarius. Ergo prædicti Angeli, ut actu constituentes totum, identificantur adæquatè uni 3tio, nempe toti, adeoque identificantur etiam sibi. Ergo ulterius vera est hæc propositio: *Michàël ut actu constituens totum, est Gabriel ut actu constituens totum.* Ergo denique vera est etiam hæc propositio simpliciter prolata: *Michàël actu constituens totum est Gabriel*, nam à termino restricto ad irrestrictum valet consequentia. Ita R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 35. Ac superiùs num. 28. [quod ad complementum hujus argumentationis spectat] addit: *Universaliter, quæ propositio cum reduplicatione vera est, illa est vera etiam sine reduplicatione.* Ita quoq; ex parte R. P. Kobielski in Physica num. 106.

162. Respondeo invertendo argumenta contra Objicientem. 1mò. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc hoc denominatum: *Angelus cognoscens v. g. asinum, actu quidditativè existentem*, essentialiter requireret ac exigeret tam cognitionem asini actu quidditativè existentis, quàm ipsum asinum actu quidditativè existentem, quia juxta Oppositos & ipsum Objicientem

entem prædictum denominatum essentialiter connotat utrumque ex præfatis. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si prædictum denominatum essentialiter requireret ac exigeret tam cognitionem asini actu quidditativè existentis, quàm ipsum asinum actu quidditativè existentē, tunc Angelo secundùm suam præcisè entitatem sumptus, essentialiter requireret ac èxigeret utrumque ex prædictis, quia hoc denominatum: *Angelus cognoscens asinum actu quidditativè existentem*, est Angelus secundùm suam præcisè entitatem sumptus, ipsa siquidem entitas Angeli præcisè secundùm se sumpta, denominatur cognoscens asinum actu quidditativè existentem. Sed hoc non; quia Angelus secundùm suam præcisè entitatem sumptus, est indifferens tam ad cognoscendum asinum actu quidditativè existentem, quàm ad còêxistendum eidem, & aliàs Angelo secundùm suam præcisè entitatem sumptus nullatenus ex se ab intrinseco posset esse sine asino actu quidditativè existente, & sine cognitione ejusdem, imò juxta Oppositos sola ablata sive cognitione sive existentia asini tolleretur Angelus secundùm suam præcisè entitatem sumptus, quo quid absurdius? Ergo &c. 2dò. Si obliqua essent Antonomastica connotata denominationum, tunc hoc denominatum: *Angelus cognoscens*, constitueretur Angelo in recto importato, ut certum est Oppositis. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Si denominatum prædictum constitueretur Angelo in recto importato, tun: Angelus in recto importatus, esset constitutivum prædicti denominati vel inadæquatum, vel adæquatum. Neutrum dici potest ab Opposito Ergo &c. Non 1mum; aliàs prædictum denominatum constitueretur etiam alio realiter distincto ab Angelo, quod certè distinctum ab Angelo non posset esse aliud per ordinem ad denominatum supradictum, nisi cognitio in obliquo importata. Non

2dum ; quia aliàs daretur constitutivum rei adæquatum, quod est contra expressam doctrinam Objicientis R.P. Domaradzki in Physica num. 28. 3tiò Si prædictum denominatum constitueretur Angelo in recto importato, tunc pars actualis ut talis constituens hanc denominationem concretam: *Angelus cognoscens*, eadem & totidem diceret constitutiva, quæ & quot constitutiva dicit præfatum totum, quia in sententia Objicientis Doctissimi quævis pars actualis quà talis constituitur suo toto, ut probo' Pars ut actu còéxistens toti, constituitur toto. Sed in sententia Objicientis pars actualis ut talis est pars ut actu còéxistens toti, quia juxta R.P. Domaradzki in Logica num. 501. *Solo ablato Petro non manet anima tanquam pars actualis, id est actu còèxistens toti*; ac proinde juxta illum pars actualis, est pars actu còéxistens toti, consequenter pars ut actualis est pars ut actu còéxistens toti. Ergo &c. Probatur Minor. Universaliter ens ut actu in rerum natura còéxistens alteri enti, constituitur altero ente. Ergo & pars ut actu còéxistens toti constituitur toto. Probatur Antecedens. Ratio formalis, vi cujus ens actu in rerum natura còéxistit alteri enti, constituitur existentiâ alterius entis. Ergo & ens, ut actu in rerum natura còéxistens alteri enti, constituitur altero ente. Probatur Antecedens. Actualis còéxistentia unius entis cum altero ente in rerum natura, constituitur existentiâ alterius entis, v. g. actualis còéxistentia entis A. cum ente B. in rerum natura, constituitur existentiâ entis B. quia prædicta còéxistentia est simultanea entis A. cum ente B. existentia in rerum natura, jam autem simultanea entis A. cum ente B. existentia in rerum natura, seu collectio ex existentia entis A & existentia entis B. constituitur existentiâ entis B. Sed ratio formalis, vi cujus ens in rerum natura còéxistit alteri enti, est actualis còéxistentia unius entis cum altero ente in rerum natura. Ergo &c. 163.

163. Directè 1*mò*. nego sequelam 1mæ Majoris, quia secundùm Nos non hoc denominatum, sed hæc denominatio concreta: *Angelus cognoscens*, constituitur cognitione tanquam forma in obliquo importata. Recolantur dicta superiùs num. 145 & 150. 2*dò*. Si correctiùs, ut deberet, loco ly: *Denominatum* ponatur ly: *Denominatio*, eaque concretè, seu completè & adæquatè sumpta, nego Minorem, quia sicut omne concretum, etiam juxta Oppositos constituitur suâ formâ, ita & hæc denominatio concreta; *Angelus cognoscens*, constituitur suâ formâ, quæ est cognitio.

164. Probationi Minoris nego Sequelam Majoris cum suis rationibus. Tum quia hoc totum accidentale: *Angelus cognoscens*, dicit constitutivè tam Angelum, quàm cognitionem in obliquo, nam universaliter ex declaratis num. 66. partes totius essentiales physicæ distributivè sumptæ, ut tales, importantur purè in obliquo totius rectè explicati. Tum quia universaliter neque ulla pars physica actu constituens totum, quà talis, concretè sumpta, est totum; neque totum est pars physica actu constituens totum, quà talis, concretè sumpta, ut tali declaro inductione.

165. 1*mò*. Anima rationalis actu unita corpori (ac proinde actu constituens hominem] quà talis, concretè sumpta, non est homo. Tum quia homo constituitur corpore, ut certum est omnibus. Sed anima rationalis actu unita corpori, quà talis, concretè sumpta, non constituitur corpore; quia hoc concretum: *Anima rationalis actu unita corpori*, sufficientissimè constituitur entitate animæ rationalis tanquam subjecto denominationis præfatæ, & unione tanquam forma ejusdem denominationis, corpus verò respectu suprà dicti concreti est purum connotatum, non tamen Antonomasticè tale, ut etiam superiùs num. 29. dictum est in simili. Ergo

anima rationalis actu unita corpori quà talis, concretè sumpta, non est homo. Tum quia homo pro subjecto suæ denominationis simpliciter tali, non dicit entitatem purè spiritualem, quia homo quidditativè existens (ut suppono semper) pro subjecto suæ denominationis simpliciter tali dicit vel materiam 1mam, quæ certè non est purè spiritualis, vel [quà existens totaliter] omnes partes suas sibi cöexistentes, quæ iterum non sunt entitas purè spiritualis. Sed anima rationalis actu unita corpori, quà talis, concretè sumpta, pro subjecto suæ denominationis simpliciter tali, dicit entitatem purè spiritualem, scilicet animam rationalem. Ergo anima rationalis actu unita corpori, quà talis, concretè sumpta, non est homo. Tum quia homo non est pars physica actualis hominis, seu suiipsius, aliàs homo realiter inadæquatè distingueretur à seipso, ut patet ex definitis num. 34. Sed anima rationalis actu unita corpori, quà talis, concretè sumpta, est pars physica actualis hominis. Ergo &c. Similiter è converso homo non est anima rationalis actu unita corpori, quà talis, concretè sumpta, ut facilè deduci potest iisdem ut suprà syllogismis, in quolibet ex illis solùm transponendo præmissas, scilicet minorē ponendo pro majori & majorē pro minori, v. g. Anima rationalis actu unita corpori, quà talis, concretè sumpta, non constituitur corpore. Sed homo constituitur corpore. Ergo homo non est anima rationalis actu unita corpori, quà talis concretè sumpta &c.

166. 2dò. Miles v. g. A. actu existens in exercitu, [ac proinde actu constituens exercitum) quà talis, concretè sumptus, non est exercitus. Tum quia exercitus constituitur tam milite A. existente in exercitu, quàm aliis commilitonibus suis. Sed miles A. actu existens in exercitu quà talis, concretè sumptus, non constituitur tam milite A existente

ſtente in exercitu, quàm aliis commilitonibus ſuis, ut probatum eſt num. 158. Ergo miles A actu exiſtens in exercitu quà talis, concretè ſumptus, non eſt exercitus. Tum quia exercitus non eſt pars phyſica actualis exercitûs, ſeu ſuiipſius. Sed miles A actu exiſtens in exercitu, quà talis, concretè ſumptus, eſt pars phyſica actualis exercitûs Ergo &c. Proportionatè diſcurrendum de muſca actu exiſtente in mundo, quà tali, concretè ſumpta.

167. 3*tiò*. Petrus actu conſtituens binarium hominum exiſtentium ſimul, quà talis, concretè ſumptus, non eſt binarius hominum, ut probo. Petrus actu in rerum natura coëxiſtens alteri homini, quà talis, concretè ſumptus, non eſt binarius hominum. Sed Petrus actu conſtituens binarium hominum exiſtentium ſimul, quà talis concretè ſumptus, eſt Petrus actu in rerum natura coëxiſtens alteri homini, quà talis concretè ſumptus. Ergo &c. Minor patet, quia univerſaliter entitas actu conſtituens binarium quidditativè exiſtentem, quà talis concretè ſumpta, nihil aliud eſt, [quid enim aliud eſt?] niſi entitas actu in rerum natura coëxiſtens alteri entitati, quà talis concretè ſumpta. Major probatur. Univerſaliter pars phyſica binarii quidditativè exiſtentis, actu in rerum natura coëxiſtens alteri comparti phyſicæ, quà talis concretè ſumpta, non eſt binarius quidditativè exiſtens. Ergo & Petrus actu in rerum natura coëxiſtens alteri homini, quà talis concretè ſumptus, non eſt binarius hominum. Probatur Antecedens his rationibus. 1*mò*. Binarius quidditativè exiſtens, eſt concretum metaphyſicum. Sed pars phyſica binarii quidditativè exiſtentis, actu in rerum natura coëxiſtens alteri comparti phyſicæ, quà talis concretè ſumpta, non eſt concretum metaphyſicum. Ergo pars phyſica binarii quidditativè exiſtentis, actu in rerum natura coëxiſtens alteri comparti phyſicæ, quà talis concretè ſumpta, non

est binarius quidditativè existens. Consequentia hujus syllogismi est in Camestres. Major est certa omnibus, quia prædictus binarius habet formam (scilicet actualem còéxistentiam binarum suarum partium) adæquatè identificatam sibi & subjecto suo, nempe suis partibus physicis simul sumptis. Minor declaratur, quia pars physica binarii quidditativè existentis, actu in rerum natura còéxistens alteri comparti physicæ, quà talis concretè sumpta, non habet formam suo subjecto adæquatè identificatam, prædicta siquidem pars concretè sumpta pro forma dicit actualem còéxistentiam sui cum altera comparte, quæ còéxistentia est semiexstrinseca subjecto dicti concreti, scilicet entitati partis physicæ, utpote partialiter identificata etiam alteri comparti. 2*do.* Binarius quidditativè existens habet subjectum adæquatè identificatum binario. Sed pars physica binarii quidditativè existentis, actu in rerum natura còéxistens alteri comparti physicæ, quà talis concretè sumpta, non habet subjectum adæquatè identificatum binario. Ergo pars physica binarii quidditativè existentis, actu in rerum natura còexistens, alteri comparti physicæ quà talis concretè sumpta, non est binarius quidditativè existens. Major patet, quia subjectum hujus denominationis: *Binarius quidditativè existens*, sunt duæ entitates actu existentes collectivè sumptæ, ut declaratum superiùs num. 153. quæ certè entitates collectivè sumptæ, adæquatè identificantur binario. Minor quoq; patet, quia subjectum hujus denòminationis: *Pars physica binarii quidditativè existentis, actu in rerum natura còéxistens alteri comparti physicæ, quà talis concretè sumpta*, est entitas partis physicæ constituentis binarium quidditativè existentem, quæ sine dubio adæquatè non identificatur binario quidditativè existenti. Consequentia est in Camestres. 3*tio.* Quod distinguitur realiter inadæquatè à bina-

a binario quidditativè existente, illud non est binarius quidditativè existens. Sed pars physica binarii quidditativè existentis, actu in rerum natura còëxistens alteri comparti physicæ, quà talis concretè sumpta, distinguitur realiter inadæquatè à binario quidditativè existente. Ergo &c. Major patet, quia universaliter unum ex distinctis realiter inadæquatè, non est alterum ex distinctis realiter inadæquatè, v. g. Pater æternus non est Filius, viva manus dextra non est viva manus sinistra, anima rationalis non est homo &c. Minor probatur. Hoc concretum: *Pars physica binarii quidditativè existentis, actu in rerum natura còëxistens alteri comparti physicæ*, distinguitur realiter inadæquatè ab hoc concreto: *Binarius quidditativè existens*. Ergo &c. Probatur Antecedens. Quorum concretorum forma est eadem, subjecta verò sunt distincta realiter, illa concreta distinguuntur à se realiter. Sed prædictorum in Antecedente concretorum forma est eadem, subjecta verò sunt distincta realiter. Ergo prædicta in Antecedente concreta distinguuntur à se realiter. Atqui non adæquatè, ut est extra dubium. Ergo inadæquatè, Ergo denique 1mum ex prædictis concretum distinguitur realiter inadæquatè à 2do. Minor immediati syllogismi patet, quia ex una parte forma tam 1mi, quàm 2di concreti, in re nihil aliud est, nisi actualis còëxistentia entitatum constituentium binarium. Ergo eadem omnino est forma utriusque prædicti concreti. Ex altera parte subjectum 1mi concreti est entitas unius partis physicæ constituentis binarium, jam verò subjectum alterius concreti sunt duæ partes physicæ constituentes binarium, collectivè sumptæ. Ergo subjectum 1mi concreti realiter distinguitur à subjecto alterius concreti, quia entitas unius partis physicæ constituentis binarium realiter distinguitur à duabus partibus physicis binarii, collectivè sumptis,

Major probatur. Tum quia patet id in manu viva dextra & sinistra, quæ licet eandem omnino habeant formam viventem, quia tamen subjecta earundem sunt distincta realiter, ideo etiam ipsæ distinguuntur realiter; nec prædicta Major potest ullâ infringi instantiâ. Tum quia patet idem etiam ab hac paritate. Quorum concretorum subjectum est omnino idem, formæ verò sunt distinctæ realiter, illa concreta distinguuntur à se realiter, ut patet in DEO PATRE, & DEO Filio &c. Ergo etiam quorum concretorum forma est omnino eadem, subjecta verò sunt distincta realiter, illa concreta distinguuntur à se realiter.

168. Hæc responsio data num. 164 & consequentibus numeris stabilita, omnino quietare debet Connotatistas, hujus objectionis robori supra meritum confidentes; aliquos tamen è Nostris non omnino quietat. Ad solvendas ursiones istorum noto sequentia. 1mò. Nego illa non distingui realiter, quorum unum nec plus, nec minus dicit, quàm alterum; quia v. g. manus dextra viva nec plus, nec minus dicit, quàm manus viva sinistra, nihilominus prædictæ manus distinguuntur realiter. Similiter DEUS Pater nec plus, nec minus dicit, quàm DEUS Filius; nihilominus DEUS Pater & DEUS Filius juxta fidem distinguuntur realiter &c. Dato etiam, non concesso opposito, quid tum? Sed 1mum ex prædictis numero superiori concretum, ex parte formæ nec plus, nec minus dicit, quàm 2dum, concedo. Sed 1mum ex prædictis concretum, ex parte subjecti nec plus, nec minus dicit, quàm 2dum, nego. Ergo 1mum ex prædictis concretum, ex parte formæ non distinguitur realiter à 2do, concedo. Ergo 1mum ex prædictis concretum ex parte subjecti non distinguitur realiter à 2do, nego. 2dò. Concedo, quòd 1mum ex prædictis concretum, sumptum secundùm se to-

tum,

tum, nec plus nec minus dicat, quàm 2dum. Quid tum? Ergo 1mum concretum est 2dum, nego consequentiam. Tum quia manus viva dextra sumpta secundùm se totam nec plus, nec minus dicit, quàm viva manus sinistra; nihilominus manus viva dextra non est manus viva sinistra. Tum quia aggregatum ex Petro & Paulo sumptum secundùm se totum, nec plus, nec minus dicit, quàm aggregatum ex Petro & Thaddæo; nihilominus 1mum. aggregatum non est aggregatum 2dum. Tum quia DEUS Pater sumptus, secundùm se totum nec plus, nec minus dicit, quàm DEUS Filius; nihilominus DEUS Pater non est DEUS Filius, &c. 3*tiò*. Concedo illa non distingui realiter, quorum unum habet eadem omnino constitutiva, quæ etiam aliud. Nego, quòd 1mum ex prædictis concretum habeat eadem omnino constitutiva, quæ 2dum; quia ex declaratis numero superiore licèt eadem sit forma 1mi & 2di concreti, subjectum tamen non omnino est idem.

169. Addo, quòd etiam Minor 2di argumenti oppositi num. 161. licèt secundùm me vera, non efficaciter probetur ab Opponente Doctissimo. Tum quia falsa est hæc propositio: *Universaliter pars ut constituens totum non est ipsum totum*; quia animal, prædicatum genericum hominis, & rationale prædicatum differentiale hominis, utrumq; sine dubio pars hominis actu constituens hominem, *est* homo. Unde à me num. 164. & sequentibus dictum est, probatumq; quòd pars *physica* actu constituens totum non sit totum. Tum quia 1ma ratio Minoris ultimò resolutoriè infundatur huic quasi principio: *Ad veram prædicationem requiritur realis adæquata identitas recti subjecti cum recto prædicati*; quod falsum esse patet ex probatis à numero 99. Tum quia 2da ejusdem Minoris ratio, ultimò resolutoriè infundatur huic propositioni: *A termino restricto ad*

irrestri:

irrestrictum valet consequentia. Porro hæc quoq; propositio illimitatè prolata est falsa, ut patet reflectenti ad has illationes: *Omnis homo Sanctus placet DEO. Ergo omnis homo placet DEO. Omne animal rationale est homo. Ergo omne animal est homo. Michaël actu coëxistens Gabrieli* (juxta Connotatistas) *essentialiter requirit Gabrielem Ergo Michaël essentialiter requirit Gabrielem. Frigida fervens urit. Ergo frigida urit. Omnis paries albus concretè sumptus constituitur albedine Ergo omnis paries constituitur albedine &c.* Falsa deniq; est etiam hæc propositio: *Universaliter quæ propositio cum reduplicatione vera est, illa est vera etiam sine reduplicatione*; quia cum reduplicatione veræ sunt hæ propositiones: *Frigida quà fervens urit. Homo quà albus est totum accidentale. Christus quà DEUS est ubiq;. Verbum quà Carofactum cæpit in tempore, ac est creatura &c.* Sine reduplicatione tamen falsæ sunt istæ: *Frigida urit. Homo est totum accidentale. Christus est ubiq; Verbum cæpit in tempore ac est creatura &c.*

170. Objicitur 19nò. Si posset aliquid, in denominatione aut recta rei explicatione non importatum nec importabile in recto, esse constitutivum ejusdem denominationis aut rei, tunc propositio affirmativa non disjunctiva posset esse vera, etsi in illa non daretur identitas adæquata recti prædicati objectivi cum recto subjecti objectivo. Sed hoc non; quia ad omnem propositionem affirmativam non disjunctivam requiritur identitas adæquata recti prædicati cum recto subjecti. Ergo &c. Probatur sequela Majoris. Ex una parte in prædicta hypothesi vera esset hæc [utiq; affirmativa non disjunctiva] propositio: *Homo est corpus habens animam unitam sibi*, quia in hac propositione de homine prædicarenrur omnia ejus constitutiva, siquidem prædicarentur de homine omnia constitutiva dictæ denominationis, de homine enim prædicare-

tur

tur tota hæc denominatio, cujus denominationis ſicut & hominis conſtitutiva juxta Oppoſitos non alia ſunt, quàm corpus, anima, & unio. Ex altera parte in eadem propoſitione non datur identitas adæquata recti prædicati objectivi cum recto ſubjecti objectivo, rectum enim prædicati eſt ipſum corpus, jam verò rectum ſubjecti eſt homo. Porro corpus inadæquatè identificatur homini, tanquam pars ſuo toti. Ergo ſi &c. Ita R. P. Tuchołka in Logica num. 172. ad finem. Reſpondeo. 1*mò*. Tranſeat ſequela Majoris, nego Minorem cum ſua ratione ex dictis à num. 99. 2*dò*. Nego ſequelam Majoris cum ſuis rationibus contentis in 1ma parte probationis. Tum quia ex declaratis num. 66. falſa eſt hæc propoſitio: *Homo eſt corpus habens animam unitam ſibi.* Tum quia in prædicta propoſitione de homine prædicantur ad ſummum ſolùm aliqua (non omnia) conſtitutiva hominis, nempe corpus & unio; ac quamvis prædicarentur omnia diſtributivè, non eo ipſo vera eſſet prædicta propoſitio, quia ex deductis num. 66. partes eſſentiales phyſicæ hominis diſtributivè ſumptæ ut tales, non ſunt verè per caſum rectum affirmabiles de homine. Tum quia ex eo, quòd in eadem propoſitione prædicentur de homine omnia conſtitutiva hujus denominationis: *Corpus habens unitam ſibi animam*, non ſequitur prædicari de homine omnia *conſtitutiva* hominis; quia alia ſunt conſtitutiva hominis, & alia ſunt conſtitutiva denominationis prædictæ, homo enim conſtituitur corpore & anima, ut certum eſt omnibus, ac præterea unione, ut conſentit nobiscum contra Connotati*ſtas* etiam ipſe Objiciens R. P. Tuchołka in Phyſica num. 173. jam verò prædicta denominatio ex declaratis num. 29. non conſtituitur corpore, anima, & unione.

171. Objicitur 2*omò*. Admiſſis talibus conſtitutivis, quæ purè in obliquo importantur, de una

realiter

realiter entitate verificarentur duo prædicata contradictoria, nam de anima rationali unita corpori, verificaretur, quòd sit homo, ut omnes fatentur Oppositi, & quòd non sit homo, ut probatur. Tum quia id deducitur hoc Syllogismo in Cesare: *Homo non est indivisibilis, non est spiritus, est quid compositum. Atqui anima rationalis unita corpori est indivisibilis, est spiritus, non est quid compositum. Ergo anima rationalis unita corpori non est homo.* Tum quia si anima rationalis unita corpori esset homo, tunc etiam verum esse deberet, quòd Persona Verbi unita Humanitati sit Christus, quod tamen falsum est, quia sicut Christus est homo, & quid compositum ex natura humana ac Personalitate Verbi, ita Persona Verbi esset homo, essetq; composita ex natura humana ac Personalitate Verbi &c. Ita R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 427. Respondeo retorquendo argumentum, Admissis connotatis Antonomasticis de anima rationali unita corpori verificaretur & esse hominis, & non esse hominis. Verificaretur non esse hominis; ut deducit objectio. Verificaretur quoq; esse hominis; quia admissis semel connotatis Antonomasticis potest dici expeditissimè & defendi facillimè, quòd homo entitativè nihil aliud dicat, nisi animam rationalem connotantem corpus & unionem, siquidem admissis semel connotatis illis nulla est necessitas afferendi sicut tria, ita & duo constitutiva hominis, nam admissis semel prædictis connotatis, sufficienter (cur enim non) constituitur homo unica entitate animæ rationalis connotante corpus & unionem. Certè semel admissis connotatis illis dicam imperterritè hominem esse quidem compositum, sed metaphysicum ex genere & differentia, non physicum ex plùribus partibus physicis; totumq; creatum numero constitutivorum esse majus parte sua metaphysica, non physica &c. Directè nego

assumptum cum sua instantia, dicoq; quòd anima rationalis unita corpori non sit homo, sed solùm pars hominis. Recolantur dicta num. 165. Hanc ego responsionem ab ipsa Philosophia didici, & eandem docui, ut hoc alterum etiam ipse objiciens, tunc Calissiensis Comprofessor meus, diffiteri non potest, qui Tractatus meos studiosiùs præ oculis & manibus habere dignabatur. Præterea juxta eundem ipsum in Sacramentis num. 436. *Dicunt aliqui, quòd pars actualis in ratione partis non constituatur reliquis partibus aut toto, sed sola unione.* Ergo mirum est, quòd ab illo de Nobis sit assertum: *Ut fatentur omnes.* Quod attinet rationes partis 2dæ, imprimis hic syllogismus: *Homo non est indivisibilis, non est spiritus, est quid compositum. Atqui anima rationalis unita corpori est indivisibilis, est spiritus, non est quid compositum. Ergo anima rationalis unita corpori non est homo*, est partim in Cesare, partim in Camestres, qua enim parte Majorem habet negativam & Minorem affirmativam, est in Cesare; qua verò parte Majorem habet affirmativam & Minorem negativam, est in Camestres. Ergo non est simpliciter in Cesare, sicut compositum humanum, ens partim corporeum partim spirituale, non est simpliciter spirituale &c. Deinde 2da ejusdem partis ratio, ex his propositionibus: *Persona Verbi unita Humanitati est Christus. Persona Verbi unita Humanitati est homo*, 1mam asserit esse falsam, 2dam supponit esse absurdam, cùm tamen ambæ sint propositiones fidei & omnium Theologorum, non minùs quàm istæ: *DEUS est Christus, DEUS est homo*; ac certè Christus sicut de fide est DEUS, ita de fide est Persona Verbi unita humanitati. Ergo per conversionem & Persona Verbi unita humanitati est Christus &c. Recolantur dicta num. 85.

172. Objicitur 2imò. Admissis talibus constitutivis, quæ purè in obliquo importantur, unus

aureus

aureus similis alteri, essent duo aurei, consequenter unus aureus similis mille aureis, essent mille aurei. Ergo 1mò qui daret aut acciperet unum aureum similem mille aureis, daret aut acciperet mille aureos. En profusam liberalitatem Anticonnotatistarum, qui Chimicos ipsos supergressi, ex uno aureo mille faciunt! Ergo 2dò qui teneretur restituere mille aureos, restituendo unum similem mille aureis, restitueret mille aureos. En novam Casisticam resolutionem, juxta quam Anticonnotatistæ deberent resolvere omnes debitores, præsertim illos, qui Anticonnotatistis deberent solvere! Ita R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 441, Respondeo. Retorqueo imprimis argumentum contra Opponentem, quà olim in Philosophia Anticonnotatistam. & infero, quòd etiam ille, quoties in Philosophia dedit aut accepit unum aureum similem mille aureis, toties dedit aut accepit mille aureos &c. Retorqueo deinde argumentum contra eundem, quà nunc Anticonstitutivistam. Admissis connotatis Antonomasticis, unus aureus similis alteri, essentialiter exigeret, ac Antonomasticè connotaret alterum aureum, consequenter unus aureus similis mille aureis, essentialiter exigeret ac Antonomasticè connotaret mille aureos. Ergo ab Anticonstitutivistis non potest haberi unus aureus similis mille aureis, quin ab illis habeantur mille aurei, aliàs haberent dictum aureum sine suis essentialibus requisitis &c. Ergo ab iisdem nec dari potest unus aureus similis mille aureis, quin ab illis dentur mille aurei. En profusam liberalitatem Anticonstitutivistarum, qui Chimicos ipsos supergressi, ex uno aureo mille faciunt! Ergo ulteriùs qui teneretur restituere mille aureos, restituendo unum similem mille aureis, restitueret mille aureos. En novam Casisticam resolutionem, juxta quam Anticonstitutivistæ deberent resolvere omnes debito-

res, præsertim illos, qui Anticonstitutivistis deberent solvere! Ergo deniq; qui ex Connotatistis unum habet aureum similem millioni aureorum, ille simul uno cum aureo debet habere millionem aureorum. Quivis igitur ex ipsis sit tenacissimus illius aurei unius, nè prodigalitate nimia simul cum uno expendat mille millia aureorum. Directè nego sequelam, quia per me pluresq; alios, neq; unus aureus similis in qualitate alteri aureo, etiam concretè sumptus, neq; similitudo in qualitate unius aurei cum altero aureo constituitur duobus aureis, ut facilè patere potest reflectenti ad dicta num 156. in simili. Nimirum sicut juxta dicta numero citato abstractè sumpta similitudo in albedine parietis A. cum pariete B sufficienter constituitur albedine unita parieti A. & albedine unita parieti B. ita abstractè sumpta similitudo in qualitate aurei A. cum aureo B. sufficienter constituitur talitate aurei A. & aurei B. jam verò aureus A. similis in qualitate aureo B. concretè sumptus sufficienter constituitur entitate aurei A. tanquam subjecto, & talitate aurei A. ac aurei B. &c.

173. Objicitur deniq; 22*dò*. Si id, quod purè in obliquo importatur, esset prædicatum aut saltem constitutivum prædicati, tunc ista duo prædicata: *Animal*, *&* *Rationale*, non identificarentur adæquatè homini, siquidem hoc prædicatum: *Animal*, importat in obliquo sensationem, & hoc prædicatum: *Rationale* constitueretur ratiocinationibus, jam autem neq; sensationes, neq; ratiocinationes identificantur homini. Ita profundissimè argumentatur R. P. Koczorowski in Sacramentis ad finem numeri 462. Respondeo retorquendo argumentum. Si id, quod purè in obliquo importatur, esset Antonomasticum connotatum prædicati, tunc ratiocinationes (quæ juxta omnes importantur purè in obliquo animalis rationalis) es-

sent connotata hujus prædicati: *Animal rationale*, ac proinde homo non posset esse ullatenus sine ratiocinationibus, consequenter nec infans hodie natus, nec homo dormiens esset homo, utpote nullas exercens ratiocinationes &c. Directè nego sequelam. Ad illius rationem dico, quòd sensationes ac ratiocinationes importentur equidem in obliquo animalis & rationalis, nihilominus etiam juxta Nos non constituunt animal rationale. Et in præsenti objectione, & in aliis plerisque nimis crassè de Nobis supponitur, quasi verò secundùm Nos omne id, quod importatur purê in obliquo denominationis aut rei, sit constitutivum denominationis aut rei. Hoc neque somniavimus unquam, ut insinuatum est etiam num. 151 Dices. Quod in definitione metaphysica rei importatur purè in obliquo, non est constitutivum ejusdem essentiæ metaphysicæ, ut patet in ratiocinationibus. Ergo etiam quod in explicatione physica rei importatur purê in obliquo, non est constitutivum essentiæ physicæ. Respondeo retorquendo argumentum Quod in definitione metaphysica rei importatur purè in obliquo, non est Antonomasticum connotatum ejusdem essentiæ metaphysicæ, ut patet in ratiocinationibus. Ergo etiam quod in explicatione physica rei importatur purè in obliquo, non est Antonomasticum connotatum essentiæ physicæ, ac proinde unio non est Antonomasticum connotatum hominis &c. Directè nego consequentiam, quia quod in definitione metaphysica rei importatur purè in obliquo, aut non requiritur essentialiter ad esse rei, ut patet in ratiocinationibus explicitè vel implicitè ingredientibus definitionem hominis; aut non identificatur totaliter rei, ut patet in DEO implicitè ingrediente definitionem creaturæ &c E contra aliquid quod in explicatione physica rei importatur purè in obliquo, & requiritur essentialiter ad

esse

esse rei, & totaliter identificatur rei, ut patet in partibus rei essentialibus physicis distributivè sumptis, quà talibus, ex dictis num. 66.

174. Pro coronide totius sectionis hujus addo, etiam hoc Connotatisticum assumptum non subsistere, quòd sola recta seu subjecta faciant, ut multiplicentur denominationes. Tum quia hæ v. g. denominationes: *Lac album, dulce, quantum; Petrus sanctus, doctus &c.* sunt multiplices, quamvis idem habeant subjectum. Tum quia etiam ipsum subjectum denominationis est non rectum, sed obliquum ejusdem, &c.

§. 6tus.

Propositio exclusiva quomodo sit exponenda?

175. PLURES Nostri Connotatistis Oppositi constitutivum rei explicant per, quo solo ablato tollitur res, ac proinde per propositionem exclusivam, ut patet ex relatis num 3. 4. & 62. Connotatistæ suum Antonomasticum connotatum rei explicant per requisitum essentiale non constitutivum rei, quo solo ablato perit res, ut patet ex relatis num. 118 & sequentibus, ac sententiæ suæ robur principale reponunt in expositione propositionis exclusivæ sicut & iisdem Oppositi. Iuxta me quoque ex insinuatis num. 62. hic complexum terminorum: *Quo per possibile vel impossibile solo ablato tollitur res*, est verissimum hujus indicium, quòd aliquid identificetur alicui; ac num. 111. indicium constitutivi Antonomastici compleo per hos terminos: *Quo quomodocunque ablato*, istosque explico etiam per ly: *Quo ablato sive*

to sive secundùm omnes simul partes illius, sive secundùm quamcunque demum, etiam solam partem ejusdem &c. Quare ad integritatem hujus de Constitutivis & Connotatis Opusculi videtur omnino necessaria esse resolutio istius (aliàs Dialecticæ) quæstionis: *Quomodo exponenda est propositio exclusiva,* seu constans aliquo termino exclusivo? Imprimis igitur rejiciam expositiones aliorum, deinde dabo regulam universalem exponendi propositiones exclusivas. Sit itaque.

SECTIO Ima.

Rejiciuntur expositiones aliorũ.

176. ANTE annos 30. hac in Provincia Oppositi Connotatistis passim tanquam certum supponebant, quòd quælibet propositio exclusiva de subjecto excluso exponi debeat per duas propositiones, 1mam affirmativam prædicati de subjecto, 2dam negativam ejusdem prædicati de omnibus aliis realiter adæquatè distinctis à subjecto, v. g. hæc propositio: *Solus DEUS est omnipotens*, exponi debet per hanc: *DEUS est Omnipotens, & nihil realiter adæquatè distinctum à DEO est omnipotens.* Et sic de aliis propositionibus similibus Hæc doctrina ab ipsa Philosophia semper mihi visa est insubsistens. Tum quia in propositione exclusiva à communione prædicati possunt non excludi etiam distincta realiter adæquatè, ut cùm dicitur: *Solus Petrus est in templo*; in qua propositione à communione præsentiæ in templo non excluduntur parietes, fenestræ, scamna, altaria, ac Sacerdotes, ubicatio & duratio Petri &c. Tum quia in eadem propositione exclusiva à communione prædicati possunt excludi etiam realiter inadæquatè

quatè distincta, ut cùm dicitur: *Ex constitutivis hominis sola anima est substantia purè spiritualis;* in qua propositione à communione prædicati excluditur etiam homo, adæquatum suipsius constitutivum, ac inadæquatè distinctus ab anima. Item cùm dicitur: *Ex requisitis essentialibus ad esse hominis solus homo est animal rationale;* in qua propositione à communione prædicati excluditur etiam anima, corpus, & unio. Tum quia in eadem propositione exclusiva à communione prædicati possunt excludi etiam per rationem distincta, ut cùm dicitur: *Solus ex Trinitate Pater æternus generat;* in qua propositione à communione prædicati excluditur etiam Natura Divina per rationem distincta à Patre. Item cùm dicitur: *Ex prædicatis hominis, illi adæquatè identificatis solùm animal & rationale est de essentia metaphysica hominis. Solum animal est genus proximum hominis &c.* Tum quia aliàs propositio exponibilis posset esse falsa, & propositio exponens posset esse vera, quod est contra omnē Dialecticam, supponamus enim quòd anima Petri & Pauli realiter distinctæ divinitus informent unum numero corpus, & quòd tantùm Petrus & Paulus pereant simul. In hac suppositione falsa esset hæc propositio: *Ex omnibus hominibus solus Petrus perit,* ut patet ex 2da parte suppositionis; & tamen vera esset hæc propositio exponens: *Petrus perit, & nullus alius homo adæquatè distinctus à Petro perit,* quis enim aliùs homo adæquatè distinctus à Petro in prædicta suppositione periret? Certè Paulus in præfata hypothesi periret; cæterum non esset adæquatè distinctus à Petro &c.

177. Iuxta aliquos Connotatistis Oppositos propositio exclusiva de subjecto excluso exponi debet per propositiones duas, 1mam affirmativam prædicati de subjecto, 2dam negativam ejusdem prædicati de omnibus aliis, sive realiter adæquatè

sive realiter inadæquatè distinctis; istique sententiæ
subscripsit etiam R. P. Gzowski in suo Brevissimo
de Connotatis Memoriali num. 16. dicens: *Non*
est ulla lex Dialectica, quòd omnis propositio exclu-
siva debeat explicari per ly: Distinctum adæquatè,
sed nonnisi debet explicari per ly: Distinctum simpli-
pliciter, sive id sit distinctum adæquatè, sive tantum
inadæquatè. Non rectè. Tum quia hæc propositio:
Solum ens A. perit, non potest exponi per istam:
Ens A. perit, & nihil aliud sive realiter adæquatè
sive realiter inadæquatè distinctum ab ente A. perit,
quia solâ ablatâ parte perit totum, ut certum est
omnibus, & tamen totum realiter inadæquatè di-
stinguitur à parte. Tum quia si solus Petrus anni-
hilaretur, verum esset tunc dicere: *Solus Petrus to-*
taliter & annihilativè perit, falsa tamen esset hæc
juxta Oppositos exponens: *Petrus perit, & nullum*
aliud sive realiter adæquatè, sive realiter inadæquatè
distinctum à Petro perit, quia perit etiam anima
Petri &c. Tum quia si ex hominibus alicujus civi-
tatis ipse Petrus ingrederetur templum, verum esset
tunc dicere: *Solus Petrus est in templo*, falsa tamen esset
hæc juxta Oppositos exponens: *Petrus est in templo, &*
nihil aliud sive realiter adæquatè sive realiter inadæquatè
distinctum à Petro est in templo, nam essente Petro
in templo sunt in illo tam entia realiter adæquatè
distincta à Petro, ut scamna, altaria &c. quàm en-
tia realiter inadæquatè distincta à Petro, ut ani-
ma & corpus Petri &c.

178. Juxta R. P. Gzowski in suo Brevissimo
Memoriali de Connotatis num. 16. *Hæc v. g. pro-*
positio: Solum hoc ens perit, debet sic juxta Dialecti-
cam explicari: Hoc ens perit, & nihil aliud plus,
seu nihil aliud præterea perit, non potest enim osten-
di melior explicatio prædictæ propositionis. Similiter
(inquit) *censeo & alias propositiones exclusivas ex-*
plicandas esse. Eidem doctrinæ subscripsit R. P. Do-

maradzki

maradzki in Compendio Connotatorum num. 15. dicens: *Propositio exclusiva exponitur per duas propositiones expressas, quarum una habeat aliquam particulam ex istis: Ultra, praterea, plus.* Et paulò inferiùs ibidem *Dictio* (inquit) *exclusiva significat expressè distincta realiter talia, qua sint quid plus & ultra rem non exclusam.* Non rectè. Tum quia sola ablata parte tollitur totum, v. g. sola ablata anima rationali tollitur homo, ut est certissimum. Ergo sola ablata anima rationali, aliquid aliud praeterea, imò plus tollitur, quàm anima rationalis, quia homo est aliquid aliud praeter animam rationalem, imò aliquid plus quàm illa. Ergo propositio enuntians solum hoc ens perire, non potest universaliter exponi per propositionem enuntiantem hoc ens perire, & nihil aliud plus aut praeterea perire &c. Tum quia si solus Petrus annihilaretur, verum esset dicere: *Solus Petrus totaliter & annihilative perit*, falsa tamen esset haec juxta Oppositos exponens: *Petrus perit, & nihil aliud praterea perit*, quia in praedicta hypothesi perirent insuper etiam singula constitutiva Petri. Tum quia si ex hominibus alicujus urbis ipse v. g. Petrus esset intra templum, verum esset dicere: *Solus Petrus est in templo*, falsa tamen foret haec juxta Oppositos exponens: *Petrus est in templo, & nihil praterea aliud est in templo*, quia praeter Petrum utique essent scamna & altaria, caeteraque similia in eodem templo, imò esset plus in illo praeter Petrum, scilicet aggregatum ex scamnis, altaribus, aliisque entibus adaequatè distinctis à Petro, ac ex ipso Petro. Tum quia si praecisè DEUS ipse periret, verum esset dicere: *Solus DEUS perit*, & tamen juxta Oppositos praeterea etiam creatura periret, imò plus praeter illam periret, scilicèt aggregatum ex DEO & omni creatura &c.

179. Iuxta R. P. Gzowski in Logica de Con-

notatis: *Hæc propositio: Solum hoc ens perit, ita est explicanda: Hoc ens perit, et nihil aliud perit quod non includatur in illo.* Non rectè 1*mò*. Dū ex tota aliqua cōmunitate solus v. g. Paulus moritur, vera est hæc propositio: *Solus Paulus perit*, & tamen falsa est hæc juxta R. P. Gzowski exponens: *Paulus perit, & nihil aliud perit, quod non includatur in illo*, quia perit etiam actio conservativa Pauli, quæ certè non includitur in Paulo. Perit quoque in eodem casu unio animæ Pauli cum corpore Pauli, quæ juxta R. P. Gzowski est extra essentiam physicam ejusdem Pauli, ac proinde non includitur in illo. Ergo &c. 2*dò*. Hæc propositio: *Sola pars perit*, vera est saltem *per suppositionem*, ut addit ac fatetur etiam ipse R. P. Gzowski in Manuscriptis de Gratia num. 234. falsa tamen est hæc juxta eundem R. P Gzowski exponens: *Pars perit, & nihil aliud perit quod non includatur in illa*, quia ablata sola parte perit aliquid aliud à parte quod non includitur in eadem, scilicèt perit totum, utique non inclusum in parte, sed includens partem. Ergo &c. 3*tiò*. Propositiones exclusivæ à communione prædicati aliquando excludunt etiam ea, quæ includuntur in subjecto Ergo propositio exclusiva non debet ita omnino explicari, ut docet R. P. Gzowski. Probatur Antecedens. Tum quia hæc propositio: *Solum adæquatum hominis constitutivum inter omnia constitutiva hominis est completū ex se, est partim spirituale partim materiale, est essentialiter compositum, est homini realiter adæquate & per rationem ratiocinatam identificatum*, à communione præfatorum prædicatorum excludit etiam inadæquata physica constitutiva hominis, quæ certè includuntur in constitutivo hominis adæquato. Tum quia hæc propositio: *Solum animal est genus proximum hominis*, à communione prædicati excludit tam rationale, quàm irrationale, ut certum est omnibus, cùm nec rationale, nec irrationale sit ge-

nus proximum hominis, quæ tamen includuntur in animali, tanquam partes integrales in toto potestativo, ut patet reflectenti ad dicta num. 27. Tum quia hæc propositio: *Solum animal rationale est essentia metaphysica hominis*, à communione prædicati excludit tam animam & corpus hominis, quàm risibile & admirativum, quæ certè includuntur ex parte objecti in essentia metaphysica hominis. 4*tò*. Iuxta R. P. Gzowski propositio ista: *Solum hoc ens perit*, ita est explicanda: *Hoc ens perit*, & *nihil aliud perit, quod non includatur in illo.* Ergo & propositio ista: *Solum connotatum extrinsecum perit*, ita est explicanda: *Connotatum extrinsecum perit*, & *nihil aliud perit, quod non includatur in illo.* Ergo ablato solo connotato extrinseco, nihil aliud perit, quod non includitur in illo. Ergo ablato solo connotato rei extrinseco non perit res adæquatè distincta ab eodem, quia res adæquatè distincta à suo connotato extrinseco est quid aliud ab illo, nec includitur in illo, v.g. DEUS non includitur in pura creatura. Ergo connotatum rei extrinsecum, quo solo ablato juxta Oppositos perit res. & est tale, quo solo ablato perit res, ut supponitur, & non est tale quo solo ablato perit res, quia ex probatis solo etiam in sensu subtilissimi R. P. Gzowski ablato connotato rei extrinseco non perit res. 5*tò*. Ex eadem illa doctrina infero. Ergo & hæc per suppositionem possibilem vera propositio: *Solus Petrus totaliter quidditativè perit*, ita est exponenda: *Petrus totaliter quidditativè perit*, & *nihil aliud perit, quod non includitur in illo.* Ergo solo Petro totaliter quidditativè ablato non perit unio animæ Petri cum corpore Petri, quia prædicta unio est quid aliud à Petro, ut certum est omnibus, ac Iuxta R. P. Gzowski non includitur in Petro, utpote connotatum illius extrinsecum. Ergo denique unio substantialis inter materiam & formam est entitas realis ita abso-

luta, ut possit conservari in rerum natura etiam destructâ materiâ & formâ, quod repugnat etiam judicio Revisorum Generalium citatorum num. 20.

180. Juxta R. P. Gzowski in Logica de Connotatis *hæc propositio: Una sola pars perit, debet exponi sic: Una pars perit ratione sui totaliter, & nihil aliud plus distinctum à parte perit totaliter.* Juxta eundem in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 16. ad finem *Dum verè dicitur: Sola & unica pars perit, sensus est iste: Pars perit totaliter, id est ratione adæquati sui constitutivi & essentiæ, & nihil aliud perit totaliter, perit tamen simul aliquid plus, scilicet ipsum totum, perit inquam partialiter ratione inadæquati tantùm constitutivi & partis simul pereuntis.* Subscripsit eidem doctrinæ R. P. Radominski in Logica num. 611. dicens: *Dum v. g. sola unio hominis perit, quæ per Oppositos est constitutiva hominis, optimè sic explicatur, quòd sola unio hominis pereat totaliter ratione sui ita, ut ultra illam nihil pereat totaliter intrinsecè ratione sui, nam etsi totus homo dicatur perire pereunte sola unione, non dicitur perire totaliter, & secundùm omnia ac singula sua constitutiva, cum adhuc maneat anima & corpus, sed solùm perit in hoc sensu, quòd non maneat totus homo, etiam unica & sola pereunte unione.* In eandem sententiam ivit etiam R. P. Domaradzki in Logica num. 570. docens: *Hæc propositio: Sola pars perit, exponenda est sic: Pars perit (puta quidditativè, seu totaliter, ac ratione sui) & nihil ultra partem perit, similiter quidditativè & ratione sui.* Ac in Compendio Connotatorum num. 15. *Ista* [inquit] *propositio: Sola ablata parte perit totum, sic verè exponitur: Ablata quidditativè parte, & nullo prætereà (seu ultra, ac plus) quidditativè ablato, perit totum.* Non rectè. Tum quia in sententia Oppositorum potest una sola pars perire, non ratione sui, sed ratione Antonomastici sui connotati extrinseci

aut semiextrinseci, quia juxta Oppositos solo ablato Antonomastico connotato partis perit pars, utiq; non ratione sui, sed ratione alterius. Ergo etiam in sententia Oppositorum hæc propositio: *Una sola pars perit*, non debet exponi sic: *Una pars perit ratione sui &c.* Tum quia potest una sola pars perire ratione sui, non totaliter, sed partialiter, illâq; sic ablatâ potest perire totum; quia Petrus, pars aggregati ex Petro & Paulo existentibus, potest perire ratione sui secundùm unam solùm partem suam, v. g. secundùm animam, illoq; sic ablato certè periret aggregatum ex Petro ac Paulo existentibus. Ergo hæc propositio: *Una sola pars perit*, non debet sic explicari: *Una pars perit ratione sui totaliter, seu quidditativè &c.* Tum quia potest esse falsa hæc propositio: *Una pars perit totaliter ratione sui, & nihil ultra partem perit totaliter ratione sui.* Ergo per illam nec debet, nec potest optimè exponi propositio exclusiva vera, aliàs propositio vera exponeretur per falsam. Probatur Antecedens. Una parte pereunte totaliter ratione sui, potest aliquid ultra eandem partem perire totaliter ratione sui. Ergo &c. Probatur Antecedens. Ex una parte Petrus v. g. est pars binarii ex Petro ac anima Petri, potestq; per absolutam DEI potentiam perire Petrus totaliter ratione sui, ut est extra dubium. Ex altera parte pereunte Petro totaliter ratione sui, ultra Petrum periret totaliter ratione sui tam anima Petri, quàm ipse binarius ex Petro, ac anima Petri, imò etiam unio Petri cum corpore Petri, nec non actio conservativa Petri, quæ omnia sunt quid aliud à Petro. Ergo una parte pereunte totaliter ratione sui, potest aliquid ultra eandem partem perire totaliter ratione sui.

181. Juxta R. P. Gzowski in Logica de Connotatis propositio ista: *Solum connotatum perit*, debet sic intelligi: *Connotatum perit ratione sui, & nihil*

hil aliud plus perit ratione sui. Hinc (inquit in Logica num. 896.) *solo ablato connotato perit res cum omnibus suis constitutivis, non ratione sui, sed ratione alterius.* Hinc ulterius etiam in Brevissimo de Connotatis Memoriali num 16. docet *solo ablato connotato extrinseco rei perire rem connotantem non ratione sui constitutivi, sed ratione puri requisiti sui essentialis, seu connotati* Huic Archiconnotatisticæ doctrinæ subscripsit, illamq; solùm unico termino isto: *Totaliter*, auxit R P. Radominski in Logica num. 611. dicens: *Propositio exclusiva v. g. hæc: sola unio perit, exponitur sic: Unio perit totaliter ratione sui (hoc est perit secundùm omnia & singula, quæ formaliter per identitatem continet) & nihil plus, nihil ultra unionem perit totaliter ratione sui; etsi enim pereunte connotato, v. g. unione, pereat simul tota denominatio hæc: Paries habens albedinem, tamen non perit totaliter ratione sui, hoc est ita, ut pereat secundùm omnia & singula, quæ formaliter per identitatem continet, quin imò perit ratione alterius à se adæquatè distincti, scilicet ratione unionis tanquam essentialis sui requisiti in obliquo importati.* Eandem sententiam professus est etiam R. P. Domaradzki in Logica num 560. dicens: *Solo ablato DEO, alio modo perit DEUS, & alio modo v. g. mundus, nam solus DEUS per impossibile aufertur ratione sui præcisè, mundus autem aufertur ratione alterius, nimirum ratione DEI.* Unde & in Compendio Connotatorum num. 12. inquit: *Dum ablato DEO periret creatura, DEus periret ratione sui, quia periret formaliter ratione suæ entitatis ablatæ, jam autem creatura periret ratione alterius, quia periret ratione DEI ablati, &c.* Iisdem consensit R. P. Tuchołka in Logica num. 200. in responsione ad confirmationem 1mam. *Si genuinum* [inquit] *sensum inquiramus hujus v. g. propositionis exclusivæ: Sola albedo perit, melior nulla occurrit explicatio, quàm hæc: Albedo ratione*

sui

ſui perit, & nihil plus ultra albedinem ratione ſui perit; cujusmodi explicatio eſt veriſſima, etſi ablata albedine pereat ſimul tota hæc denominatio: Paries habens albedinem unitam ſibi, nam etſi tunc plus ultra albedinem, ſcilicet tota denominatio periret, non periret tamen quid plus ratione ſui, quia dicta denominatio non ratione ſui, ſed ratione pereuntis albedinis periret. Addit idem loco citato. *Ejusmodi explicatio etiam in ſententia oppoſita bene propoſitionem excluſivam explicat; dato enim quòd albedo ſit conſtitutiva dictæ denominationis, verum omnino erit dicere in ſenſu præfatæ explicationis, quòd tota albedo pereat, etſi tunc periret ſimul denominatio tota, quæ non eſt ipſa præcisè albedo, periret enim ſola albedo ratione ſui, & nihil plus ultra albedinem ratione ſui periret, quia tota denominatio periret ſolùm ratione albedinis tanquam partis ſuæ pereuntis.* Ergo juxta illum etiam hæc propoſitio: *Sola pars perit*, ſic præcisè exponitur: *Pars perit ratione ſui, & nihil plus ultra partem ratione ſui perit.* Hæc Connotatiſtica doctrina à relata numero ſuperiore differt per hoc, quòd Recentiores citati num. 180. in expoſitione propoſitionis enuntiantis ſolam partem auferri, conſtanter ponant ly: *Totaliter*, quod excepto R. P. Radominski non ponunt in expoſitione propoſitionis enuntiantis ſolum auferri connotatum. Non rectè 1*mò*. In ſententia Oppoſitorum poteſt ſolum connotatum perire, non ratione ſui, ſed ratione alterius, ſcilicet ratione Antonomaſtici ſui connotati, v. g. Petrus còéxiſtens Paulo [qui eſt connotatum Pauli còéxiſtentis Petro] poteſt perire non ratione ſui, ſed ratione pereuntis Pauli &c. Ergo etiam in adverſa ſententia hæc propoſitio: *Solum connotatum perit*, non debet ſic intelligi: *Connotatum perit ratione ſui &c.* 2*dò*. Iuxta Oppoſitos totum eſt connotatum ſuæ partis actualis ut talis; & tamen ablato ſolo toto quidditativè ſecun-

dùm omnes suas partes, pars actualis ut talis perit ratione sui, quia in prædicta suppositione pars actualis ut talis perit secundùm suam entitatem, ratione suæ pereuntis essentiæ, &c. Ergo in sententia Oppositorum ablato solo connotato rei perit res non solùm ratione alterius, sed etiam ratione sui. Ergo hæc propositio: *Solum connotatum perit*, non debet sic exponi: *Connotatum perit ratione sui, & nihil aliud plus, seu ultra connotatum perit ratione sui &c.* 3*tiò*. Iuxta eosdem Oppositos Pater æternus est connotatum Filii; & tamen ablato solo Patre æterno perit DEUS Filius ratione sui, quia ablato solo Patre æterno sive secundùm Naturam Divinam, sive secundùm Paternitatem, perit Essentia DEI Theologicè sumpta constitutiva Filii, ac ratione hujus, consequenter ratione sui perit DEUS Filius. Ergo &c. ut immediatè suprà. 4*tò*. Iuxta eosdem ablato solo DEO perit creatura; peritq; hæc in prædicta suppositione non præcisè ratione alterius, sed etiam ratione sui, aliàs DEUS non esset requisitum essentiale ad esse creaturæ, quia omne requisitum essentiale rei ex declaratis num. 16. est ens ejusmodi, sine quo res ex se ab intrinseco (ac proinde ratione sui) esse non potest. Ergo &c. Firmatur. Ablato DEO (etiam solo juxta Oppositos) perit creatura ratione suæ essentialis connexionis cum DEO. Ergo ratione sui; quia connexio essentialis creaturæ cum DEO per omnes realiter adæquatè identificatur creaturæ. Hinc etiam juxta R. P. Gzowski in Logica num. 1005. dum res aliqua connectitur essentialiter cum alio ente adæquatè à se distincto, tunc isto ente altero, tanquam connotato illius rei, etiam solo ablato, perit eadem res, non solùm ratione illius connotati, sed etiam ratione sui, arguitivè & consequenter. 5*tò*. Quando solo ablato connotato juxta R. P. Gzowski & Sequaces suos, perit res cum omnibus suis constituti-

vis

vis non ratione sui, sed ratione alterius, vel pereunt simpliciter omnia constitutiva, vel non pereunt simpliciter. *Si 1mum.* Ergo in prædicta hypothesi res connotans perit ratione sui, quia ratione omnium suorum constitutivorum. *Si 2dum* Ergo res connotans non perit cum omnibus suis constitutivis. *6tò.* Implicat rem existere cum omnibus suis constitutivis non ratione sui, sed ratione alterius. Ergo etiam implicat rem perire cum omnibus suis constitutivis non ratione sui, sed ratione alterius. Ergo ulteriùs implicat connotatum Antonomasticum, quia hoc ablato juxta suos Patronos res periret cum omnibus suis constitutivis non ratione sui, sed ratione alterius. *7mò.* Quando juxta eosdem solo ablato connotato ens antè existens perit non ratione sui, sed ratione alterius, vel prædictum ens manet in rerum natura ratione sui, vel non manet in rerum natura ratione sui. Si non manet in rerum natura ratione sui. Ergo perit ratione sui. Quodsi manet in rerum natura ratione sui. Ergo non perit simpliciter, quia quod ens antè existens manet in rerum natura ratione sui, illud non perit simpliciter, seu non desinit esse simpliciter; sicut quod ens antè non existens ponitur in rerum natura ratione sui, seu ratione omnium suorum constitutivorum, illud incipit esse simpliciter. Ergo deniq; connotatum illud, quo solo ablato res antè existens, perit, & est tale, quo solo ablato perit res simpliciter, ut supponitur, & non est tale quo solo ablato perit res simpliciter, ut probatum, ac proinde connotatum præfatum est chimæricum. *8vò.* Ablata sola parte totius, pars perit ratione sui, & aliquid plus ultra partem perit ratione sui, quia perit totum ratione pereuntis partis, ut certum est omnibus, ac proinde perit totum ratione sui, siquidem pars totius est de ratione totius &c. Ergo hæc propositio: *Sola pars perit*, sic non re-

ctè exponitur: *Pars perit ratione sui, & nihil plus ultra partem ratione sui perit*, ac proinde quod additum est à R. P. Tuchołka, prorsus est insubsistens.

182 Juxta R. P. Gzowski in Tractatu de Gratia num. 239. *Dictio exclusiva non excludit illa, quæ sunt concomitantia subjectum*; ubi inter alias pro hoc instantias id confirmat auctoritate Doctissimi Ruiz de Trinitate Disp. 40. Sect. 4. num. 15. Folio 368. Hinc juxta R. P. Radominski in Logica num. 612. *Hæc propositio: Solum connotatum v. g. unio perit, hunc nonnisi sensum habet: Connotatum v. g. unio perit, & nihil plus non concomitans ablationem connotati; esto enim pereunte connotato pereat & tota denominatio, tamen denominatio hæc, seu potiùs ablatio denominationis, est concomitans ablationem connotati. Illam quoq; propositionem: Solus DEUS perit, sic* (inquit) *explica: DEUS perit, & nihil plus perit ablationem DEI non concomitans, quia dictio exclusiva non excludit concomitantia, ut docet Fonseca & Ruiz de Trinitate &c.* ut suprà. Idem ex R. P. Gzowski docet R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 452. R. P. Domaradzki in Logica num. 568. & in Compendio Connotatorum num. 9. ad finem. R. P. Popiel in Logica num. 593. ac R. P. Tuchołka in Logica num. 200. Non rectè, falsum enim universaliter est, quòd particula exclusiva non excludat concomitantia. Tum quia dum v. g. dicitur: *Solus modò Rex orat in secreto conclavi*, per ly: *Solus*, utiq; excluduntur omnes aliàs assistentes Regi homines. Tum quia hæ propositiones: *Solus DEUS Pater generat Verbum, Solus DEUS Filius generatur ab æterno Patre*, excludunt concomitantia, scilicet prior à communione generantis excludit Filium & Spiritum Sanctum concomitantes Patrem, posterior à communione geniti excludit 1mam & 3tiam Personam SS. Trinitatis concomitantes Filium. Tum quia aliàs hæc de fide

vera

vera propositio: *Sola Persona Verbi est incarnata*, ab esse incarnatarum non excluderet Personam Patris & Spiritus Sancti concomitantes Verbum, ac proinde esset erronea, vel saltem etiam admissâ illâ defendi posset ab hæreticis incarnatio Patris & Spiritus Sancti. Tum quia aliàs hæc Atheistica propositio: *Sola creatura existit*, à communione prædicati non excluderet DEUM, qui est inseparabiliter concomitans omnem creaturam; ac proinde dicta propositio & esset Atheistica, ut disertè in terminis supponitur, & non esset propositio Atheistica, utpote ab esse existentis non excludens DEUM. Tum quia hæc v. g. propositio: *Solus ex concomitantibus se militibus miles A. occubuit in acie*, à communione prædicati excludit alios commilitones, militem A. concomitantes &c.

183. Iuxta R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 452. *Particula exclusiva juxta mentem & intentionem proferentis ea excludit, quæ proferens propositionem exclusivam intendit excludere; mens autem & intentio excludentis debet agnosci ex circumstantiis, in quibus profertur propositio exclusiva.* Consensit etiam R. P. Radominski in Sacramentis num. 60. dicens: *Difficilè regula universalis assignari potest pro exclusivis, cùm ad sensum proferentis attendi debeat.* Non rectè. Tum quia hi v. g. termini: *Nullus homo. Omnis homo &c.* habent certam significationem suam independenter à mente & intentione proferentis. Ergo etiam hi v. g. termini: *Solus homo. Solus DEUS &c.* habent certam significationem suam independenter à mente & intentione proferentis. Tum quia independenter à mente & intentione proferentis dantur universales regulæ exponendi propositiones exceptivas & reduplicativas, ut videre est in obviis quibuscunque etiam Oppositorum Dialecticis. Ergo pariter independenter à mente & intentione proferentis debet

dari universalis regula exponendi propositiones exclusivas. Tum quia aliàs ex hac propositione exclusiva: *Solus DEUS perit*, nihil possent legitimè inferre Connotatistæ. Non enim possent inferre: *Ergo creatura non perit*, quia particula exclusiva in prædicta propositione juxta mentem & intentionem Connotatistarum à communione hujus prædicati: *Perit*, non excludit puram creaturam, & aliàs contra mentem eorundem solo ablato DEO non periret creatura. Non etiam inferre possent: *Ergo creatura perit*, quia particula exclusiva in propositione prædicta juxta mentem & intentionem Oppositorum Connotatistis, à communione hujus prædicati: *Perit*, omnem puram excludit creaturam, &c.

SECTIO 2da.

Traditur regula exponendi propositiones exclusivas.

184. DICO. Propositio exclusiva, explicitè vel implicitè in excludendo limitata, à communione prædicati excludit tantùm illa, quæ termino limitativo explicito vel implicito ut excludenda designantur; jam verò propositio exclusiva, tam explicitè quàm implicitè in excludendo illimitata, excludit omnia tum realiter adæquatè, tum realiter inadæquatè, tum aliquando etiam per rationem distincta à subjecto affecto particulâ exclusivâ. Hujus universalis regulæ termini explicantur singulatim, & probantur inductione.

185. 1mò. Propositio exclusiva explicitè in excludendo limitata, est propositio exclusiva, in qua

expressè

expressè ponitur aliquis terminus designans, quòd ex omnibus aliis entibus hæc non alia excludi debeant à communione prædicati ejusdem propositionis, ut patet in sequentibus sex, aliisque similibus propositionibus: *Ex partibus hominis puri sola anima est substantia purè spiritualis. Ex constitutivis Petri sola unio est entitas modalis. Ex constitutivis inadæquatis hominis in morte hominis sola essentialis unio perit totaliter. Ex Senatoribus Poloniæ solus Castellanus Cracoviensis est in templo. Ex omnibus creaturis solus Angelus est substantia completa purè spiritualis. Ex omnibus entibus realiter adæquatè inter se distinctis solus DEUS perit.* Imò ex his propositio per hunc expressum terminum: *Ex partibus hominis puri*, explicitè limitatur aut restringitur ad significandum, quòd solùm aliæ partes hominis puri, realiter distinctæ ab anima rationali, non sint substantiæ purè spirituales; certè enim dicta propositio à communione hujus prædicati: *Substantia purè spiritualis*, non excludit Angelum aut DEUM, quia nec DEUS, nec Angelus est pars hominis puri, ac proinde propositionis dictæ sensus est iste: *Anima rationalis est substantia purè spiritualis, & aliæ partes hominis puri, realiter distinctæ ab anima rationali, non sunt substantiæ puræ spirituales.* Aliæ inquam partes *hominis puri*; quia pars Hominis DEI, scilicet Divinitas & Personalitas Verbi, realiter distincta ab anima Hominis DEI, sine dubio est substantia purè spiritualis. 2da propositio per hunc expressum terminum: *Ex constitutivis Petri*, explicitè limitatur ad significandum, quòd solùm alia constitutiva Petri realiter distincta ab unione, non sint entitates modales, certè enim dicta propositio à communione hujus prædicati: *Entitas modalis*, non excludit ubicationem aut conservationem Petri, quarum neutra est constitutiva Petri, ac proinde dictæ propositionis sensus

est iste: *Unio Petri est entitas modalis, & alia constitutiva Petri, realiter distincta ab unione Petri, non sunt entitates modales.* 3*tia* propositio per hunc expressum terminum: *Ex constitutivis inadæquatis hominis*, explicitè limitatur aut restringitur ad significandum, quòd solùm alia inadæquata constitutiva hominis, realiter distincta ab essentiali unione, non pereant totaliter in morte hominis, certè enim dicta propositio à communione hujus prædicati: *Perit totaliter*, non excludit ullatenus v. g. sensationes hominis, quæ non sunt constitutivæ hominis, pereuntque in morte ejusdem; ac proinde propositionis dictæ sensus est iste: *In morte hominis unio essentialis perit totaliter, & alia inadæquata constitutiva hominis, realiter distincta ab essentiali unione ejusdem hominis, non pereunt totaliter.* Dico: *Non pereunt totaliter*, seu adæquatè; quia v. g. anima rationalis unita corpori ut talis, concretè sumpta, est inadæquatum constitutivum hominis (ut facilè colligi potest ex dictis num. 165.) ac ut talis in morte hominis perit partialiter seu inadæquatè secundùm formam dicti concreti, sicut in eodem articulo mortis perit partialiter seu inadæquatè etiā ipse homo. Hinc rigorosè loquendo falsa videtur esse hæc illimitatè prolata propositio: *In morte hominis sola unio perit &c.* 4*ta* prosiositio per hunc expressum terminum: *Ex Senatoribus Poloniæ*, explicitè limitatur ad significandum, quòd solùm alii Senatores Poloniæ distincti à Castellano Cracoviensi non sint in templo; certè enim dicta propositio à communione hujus prædicati: *Est in templo*, non excludit scamna, fenestras, aras, asseclas Castellani Cracoviensis, cæterosque homines, qui non sunt Senatores Poloniæ, ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *Castellanus Cracoviensis est in templo, & alii Senatores distincti realiter à Castellano Cracoviensi non sunt in templo &c.* 5*ta*

propo-

propositio per hunc expressum terminum: *Ex omnibus creaturis*, explicitè restringitur ad significandum, quòd solùm aliæ creaturæ distinctæ ab Angelo non sint substantiæ completæ purè spirituales, certè enim dicta propositio à communione hujus prædicati: *Substantia completa purè spiritualis*, non excludit DEUM, quia DEUS non est creatura, ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *Angelus est substantia completa purè spiritualis, & aliæ creaturæ realiter distinctæ ab Angelo non sunt substantiæ completæ purè spirituales.* 6ta propositio per hunc expressum terminum: *Ex omnibus realiter adæquatè inter se distinctis*, explicitè limitatur ad significandum, quòd solùm alia omnia realiter adæquatè distincta à DEO non pereant, certè enim dicta propositio à communione hujus prædicati: *Perit*, non excludit totum hypostaticum, quod non est adæquatè distinctum à DEO, tolliturque etiam solo ablato DEO sive secundùm Divinitatem, sive secundùm quamcunque Personalitatem, ut colligi facilè potest ex dictis num. 2. ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *DEUS perit, & omnia alia realiter adæquatè distincta à DEO nòn pereunt.* Et sic de aliis quibuscunque propositionibus exclusivis, explicitè in excludendo limitatis.

186. 2*dò*. Propositio exclusiva implicitè in excludendo limitata, est propositio exclusiva, in qua expresè non ponitur quidem ullus terminus designans, quòd ex omnibus aliis entibus hæc, non alia excludi debeant â communione prædicati ejusdem propositionis, idem tamen terminus limitativus rationabiliter subintelligi potest, aut etiam debet vel ex exigentia materiæ, vel ex circumstantiis, in quibus profertur propositio, vel ex communi explicatione aliarum propositionum similium sine ullo in contra dubio graviore, ut patet in sequentibus quatuor, aliisque similibus propositionibus absolu-

tè vel ex suppositione veris: *Sola pars totius, v. g. unitas A. constitutiva ternarii tollitur. Solum totum v. g. solus Petrus desinit esse. Solus Castellanus Cracoviensis est in templo. Solus DEUS perit &c.* In 1*ma* ex his propositione, si est vel supponitur esse vera, subintelligitur hic limitativus terminus: *Ex omnibus realiter adæquate distinctis*; quia dicta propositio, quatenus absolutè aut ex suppositione vera, exigit hunc habere sensum: *Pars tollitur, & nihil realiter adæquatè distinctum ab eadem parte per possibile vel impossibile tollitur*, non enim potest esse hic illius sensus: *Pars tollitur, & nihil tam realiter adæquatè, quàm realiter inadæquate distinctum à parte tollitur*, ablata siquidem parte formaliter & immediatè tollitur totum realiter inadæquatè distinctum à sua parte, ut certum est omnibus. Idem limitativus terminus subintelligitur etiam in 2da propositione, si est vel supponitur esse vera, nam etiam hæc, quatenus absolutè vel ex suppositione vera, exigit hunc habere sensum: *Totum desinit esse & nihil realiter adæquatè distinctum ab eodem toto per possibile vel impossibile desinit esse*, ablato siquidem toto formaliter & immediatè disinit esse aliqua pars totius. In 3*tia* propositione, si est vel supponitur esse vera, subintelligitur hic limitativus terminus: *Ex Senatoribus Poloniæ*; quia ex circumstantiis, in quibus profertur dicta propositio, [ut cùm interroganti alicui Polono, quinam Senatores sint in templo? respondetur: solus Castellanus Cracoviensis est in templo] potest rationabiliter subintelligi hunc non alium esse illius sensum: *Ex Senatoribus Poloniæ solus Castellanus Cracoviensis est in templo*, seu Castellanus Cracoviensis est in templo, & nullus alius Senator realiter distinctus à Castellano Cracoviensi est in templo. In 4*ta* denique propositione, prout ex suppositione vera, subintelligitur hic limitativus terminus: *Ex omnibus realiter*

liter adæquate distinctis à DEO. Tum quia in prædicta propositione subintelligitur aliquis terminus limitativus, ut Oppositis quoque certum est ex relatis sectione superiore. Quis igitur? Certè non subintelligitur hic terminus limitativus: *Solus ratione sui &c.* ut patet ex probatis num. 181. potissimùm in ratione 4ta. Non subintelligitur quoque hic limitativus terminus: *Solus ex omnibus se non concomitantibus &c.* quia ex declaratis superiùs num. 182. particula exclusisiva potest & solet excludere etiam concomitantia. Non subintelligitur etiam hic limitativus terminus: *Ex omnibus sive realiter adæquatè, sive realiter inadæquatè distinctis à DEO &c.* ut patet ex dictis num. 186. ad finem. Ergo subintelligitur hic (quis enim alius?] limitativus terminus: *Solus ex realiter adæquatè distinctis à DEO &c.* Tum quia juxta communiorem explicationem sine ullo in contra dubio graviore hæ ex suppositione veræ propositiones: *Sola pars totius, v. g. unitas A. constitutiva ternarii tollitur; solum totum v. g. Petrus solus desinit esse*, faciunt sensum istum: *Pars totius, v. g. unitas A. constitutiva ternarii tollitur, & nihil realiter adæquatè distinctum ab eadem parte per possibile vel impossibile tollitur; Totum v. g. Petrus desinit esse, & nihil aliud realiter adæquatè distinctum ab eodem toto per possibile vel impossibile desinit esse.* Et sic de aliis similibus propositionibus. Ergo ex communiore explicatione sine ullo in contra dubio graviore in prædictis propositionibus subintelligitur hic limitativus terminus: *Ex omnibus realiter adæquatè distinctis.* Ergo ex communiore explicatione aliarum similium propositionum sine ullo in contra dubio graviore, etiam in hac propositione: *Solus DEUS perit*, subintelligitur idem limitativus terminus, ac proinde dicta propositio, quatenus ex suppositione vera, facit sensum istum: *DEUS perit, & nihil aliud realiter adæ-*

quatè distinctum à DEO *per possibile vel impossibile perit.* Tum quia ideo prædictus terminus limitativus non subintelligeretur in propositione præfata, quia (quod omnibus suis tergiversationibus unicè hìc intendunt Oppositi) solo ablato DEO tolleretur pura creatura. Sed solo ablato DEO non tolleretur pura creatura. Ergo &c. Probatur Minor hac (ut mittam alias dandas §. sequenti à num. 231.) ratione. Implicat solo ablato DEO perire aliquid realiter adæquatè distinctum à DEO. Ergo solo ablato DEO non tolleretur pura creatura. Probatur Antecedens. Si solo ablato DEO periret aliquid realiter adæquatè distinctum à DEO, tunc DEUS & distingueretur realiter adæquatè ab illo aliquo, ut supponitur, & non distingueretur realiter adæquatè ab eodem, quia identificaretur realiter eidem, nam universaliter quo solo ablato tollitur aliqua res, illud realiter identificatur eidem rei, ut patet inductione. Sic sola ablata parte perit totum; ac illa huic identificatur realiter. Solo ablato toto perit aliqua pars ejusdem totius; ac illud huic identificatur realiter. Solo ablato Patre æterno periret Verbum; ac ille huic identificatur realiter. Nec prædicta universalis propositio à Connotatistis potest ullâ infringi seu instantiâ extra controversiam tali, quâ enim? seu ratione convictiva, ut patebit ex facili solutione desudatarum hactenus argutiarum.

187. 3tiò Propositio exclusiva tam explicitè, quàm implicitè in excludendo illimitata, est propositio exclusiva, in qua nec expressè ponitur, nec subintelligitur ullus terminus designans, quòd ex omnibus aliis entibus hæc non alia excludi debeant à communione prædicati, sed ab eodem irrestrictè excludit omnia, quæcunq; sine repugnantia potest excludere, ut patet in sequentibus quinq; aliisq; similibus propositionibus: *Definitio soli competit definito*

nito, v. g. definitio equi soli competit equo. Solus homo est animal rationale. Proprium metaphysicum soli convenit ei, cujus est proprium, v. g. risibile soli convenit homini juxta illud Aristotelis 4to Topicorum: *Proprium est, quod soli inest, & conversim prædicatur de re. Solum animal est genus proximum hominis. Solum rationale est differentia ultima hominis.* In 1ma ex his propositione à communione hujus prædicati: *Competit*, excluduntur tam realiter adæquatè, quàm realiter inadæquatè distincta à definito, v. g. ab equo, quia definitio equi neq; competit realiter adæquatè distinctis ab equo, neq; competit realiter inadæquatè distinctis ab equo, scilicet neq; competit DEO, Angelo, homini, bovi, asino &c. neq; competit ulli parti physicæ equi, ista siquidem sicut non sunt equus, ita non sunt animal hinnibile, ac proinde non competit illis communiter recepta definitio equi. Quare propositionis dictæ sensus est iste: *Definitio competit suo definito, & nulli competit sive realiter adæquatè sive realiter inadæquatè distincto ab eodem definito.* In 2da propositione à communione hujus prædicati: *Animal rationale*, excluduntur tam realiter adæquatè, quàm realirer inadæquatè distincta ab homine, quia neq; bos, neq; equus, neq; asinus, &c. neq; ulla pars physica hominis est animal rationale, aliàs definitio hominis non soli competeret homini; ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *Homo est animal rationale, & nihil sive realiter adæquatè sive realiter inadæquatè distinctum ab homine est animal rationale.* In 3tia propositione à communione hujus prædicati: *Convenit*, excluduntur omnia tam realiter adæquatè, quàm realiter inadæquatè distincta ab eo, cujus hoc vel illud est proprietas metaphysica, v. g. ab homine, cujus proprietas est risibilitas, quia esse risibile neq; convenit realiter adæquatè distinctis ab homine, neq; convenit realiter inadæquatè distin-

ctis ab homine, scilicet neq; convenit DEO, Angelo, equo, bovi, asino &c. neq; convenit ulli parti hominis, ista siquidem non sunt risibilia, seu potentia ridere, aliàs eo ipso risibilitas non esset metaphysica proprietas hominis; ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *Proprium metaphysicum convenit ei, cujus est proprium, nulliq; competit sive realiter adæquate sive realiter inadæquatè distincto ab eo, cujus est proprium.* In nulla tamen propositione prædicta à communione prædicati excluduntur distincta per rationem, nam definitio v. g. hominis debet convenire omni homini. Atqui etiam per rationem distinctum ab homine est homo. Ergo definitio v. g. hominis debet convenire etiam per rationem distincto ab homine. Et sic de aliis definitionibus. Ergo omnis definitio debet convenire etiam per rationem distincto à suo definito. Ergo deniq; hæc 1ma propositio: *Definitio soli competit suo definito*, à communione hujus prædicati: *Competit*, non potest excludere per rationem distincta à suo definito. Proportionatè discurrendum de propositione 2da & 3tia. In 4ta propositione à communione hujus prædicati: *Est genus proximum hominis*, excluduntur & realiter adæquatè, & realiter inadæquatè, & per rationem ratiocinatam distincta ab animali, quia neq; realiter adæquatè, neq; realiter inadæquatè, neq; per rationem ratiocinatam distincta ab animali v. g. neq; risibile, neq; admirativum &c. sunt genus proximum hominis; ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *Animal est genus proximum hominis, nihilq; aliud sive realiter adæquatè, sive realiter inadæquatè, sive etiam per rationem ratiocinatam distinctum ab animali, est genus proximum hominis.* In 5ta deniq; propositione à communione hujus prædicati: *Est differentia ultima hominis*, excluduntur pariter & realiter adæquatè, & realiter inadæquatè, & per rationem ratiocinatam

tiocinatam distincta à rationali, quia neq; realiter adæquatè, neq; realiter inadæquatè, neq; per rationem ratiocinatam distincta à rationali, v. g. neq; risibile, neq; admirativum, neq; etiam ipsum animal sunt differentia ultima hominis, ac proinde dictæ propositionis sensus est iste: *Rationale est differentia ultima hominis, nihilq; aliud sive realiter adæquatè, sive realiter inadæquatè, sive etiam per rationem ratiocinatam distinctum à rationali, est differentia ultima hominis.*

188. Ad solvenda aliqua noto sequentia. 1*mò*. Hæc apud S. Joannem c. 17. Christi ad Patrem directa propositio: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum*, à communione hujus prædicati: *DEUS verus*, non excludit alias Personas Divinas contradistinctas Patri, quia expresse Ioan. 17. v. 8. additur: *Et quem misisti JESUM Christum.* Unde hæc propositio: *Solus Pater est verus DEUS*, contenta in citata propositione Christi, est implicitè in excludendo limitata per hos terminos: *Ex omnibus realiter adæquatè distinctis*, ac proinde facit sensum istum: *DEUS Pater est verus DEUS, & nihil aliud realiter adæquatè distinctum à Patre est verus DEUS.* 2*dò*. Hæc propositio Ecclesiæ ad Christum directa: *Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus &c.* à communione horum prædicatorum: *Sanctus, Dominus, &c.* non excludit alias Personas Divinas, quia expressè in consequentibus verbis subjicitur: *Cum Sancto Spiritu, in gloria* (sine dubio, æquali) *DEI Patris.* Unde etiam hæc propositio: *Solus Christus est Sanctus, est Dominus &c.* est implicitè in excludendo limitata per hos terminos: *Ex omnibus realiter adæquatè distinctis solus Christus secundùm suum esse Divinum sumptus, est per essentiam Sanctus, per essentiam* Dominus *&c.* ac proinde facit sensum istum: *Christus secundùm suum esse Divinum sumptus, est per essentiam Sanctus & Dominus, nul-*

lusq; alius realiter adæquatè distinctus à Christo est per essentiam Sanctus, per essentiam Dominus &c. 3*tiò*. Stante regula suprà data, nulla propositio exclusiva falsa exponitur per veram, quæ enim? Certè hæc propositio: *Solus dexter oculus Petri videt*, falsa, vidente oculo Petri etiam sinistro, vel tam explicitè quàm implicitè est illimitata in excludendo, vel est implicitè limitata in excludendo aut per hunc subintellectum terminum: *Præcisè ex oculis Petri*, aut per hunc subintellectum terminum: *Ex oculis tam Petri, quàm aliorum hominum*. Si 1mum. Ergo prædicta propositio falsa exponitur per hanc: *Dexter oculus Petri videt, & nullus alius oculus realiter distinctus ab oculo dextro Petri videt*; quæ propositio exponens in præfata suppositione est falsa. Si 2dum. Ergo eadem propositio falsa exponitur aut per hanc: *Dexter oculus Petri videt, & alius oculus Petri non videt*, aut per hanc: *Dexter oculus Petri videt, & nullus alius oculus tam Petri, quàm cæterorum hominum videt*: quarum propositionum utraq; in præfata suppositione est falsa. 4*tò*. Similiter, casu quo Petrus & Paulus haberent communem sibi eandem numero materiam, & uterq; esset doctus, reliqui autem homines essent indocti, hæc falsa propositio: *Solus Petrus est doctus*, vel tam explicitè quàm implicitè est illimitata in excludendo, vel est implicitè limitata in excludendo aut per hunc subintellectum terminum: *Ex hominibus habentibus communem sibi eandem numero materiam*, aut per hunc subintellectum terminum: *Ex omnibus hominibus tam habentibus, quàm non habentibus communem sibi eandem numero materiam*. Si 1mum. Ergo prædicta propositio falsa exponitur per hanc: *Petrus est doctus, & nullus alius homo realiter distinctus à Petro est doctus*; quæ propositio exponens in præfata suppositione est falsa. Si 2dum. Ergo eadem propositio falsa exponitur aut per

per hanc: *Petrus est doctus, & alius homo habens communem cum Petro eandem numero materiam non est doctus*, aut per hanc: *Petrus est doctus, & nullus alius homo sive habens sive non habens communem cum Petro eandem numero materiam est doctus*; quarum propositionum utraq; in præfata suppositione est falsa. 5*tò*. Pariter etiam hæc falsa propositio: *Solus Pater æternus perit*, vel tam explicitè, quàm implicitè est illimitata in excludendo, vel est implicitè limitata in excludendo aut per hunc subintellectum terminum: *Ex omnibus Personis Divinis*, aut per hunc subintellectum terminum: *Ex omnibus entibus tam realiter adæquatè, quàm realiter inadæquatè distinctis à Patre.* Si 1mum. Ergo prædicta propositio falsa exponitur per hanc: *Pater æternus perit, & nullum prorsus ens realiter distinctum à Patre perit*; quæ propositio exponens est falsa, quia ex declaratis suprà num. 2. ablato etiam solo Patre æterno immediatè ac formaliter tollitur Filius. Si 2dum. Ergo eadem propositio falsa exponitur aut per hanc: *Pater æternus perit, & nulla alia Persona Divina realiter distincta à Patre perit*, aut per istam: *Pater æternus perit, & nullum ens tam realiter adæquatè, quàm realiter inadæquatè distinctum à Patre perit*; quarum propositionum utraq; est falsa. Quodsi eadem illa propositio est limitata in excludendo per hunc subintellectum terminum: *Ex omnibus realiter adæquatè distinctis à Patre*, tunc sicut hæc propositio: *Solus per impossibile DEUS perit*, ita quoq; hæc: *Solus per impossibile Pater æternus perit*, in hac de Connotatis materia potest nonnisi supponi ut vera, ac exponitur taliter: *Pater æternus per impossibile perit, & nullum ens realiter adæquatè distinctum à Patre perit &c.* 6*tò*. Hæ propositiones: *Potest DEus unam tantùm creaturam tollere è rerum natura. Potest Deus duo tantùm entia creare*, communiter acceptantur pro veris, & ut tales limitatè

procedunt

procedunt in hunc ſenſum: *Ex omnibus creaturis ratis realiter adæquatè diſtinctis poteſt Deus unam tantùm tollere è rerum natura. Ex entibus ratis realiter adæquatè diſtinctis poteſt Deus duo tantùm entia creare &c.* 7mò. Solo ablato DEO non perit, aut potiùs non periret creatura pura, ut probabitur §. ſequenti; interim verò his, ſuperiùs ſparſim inſinuatis probatur rationibus. Tum quia quo ſolo ablato perit creatura pura, illo ablato perit creatura pura ratione ſui, aliàs id, quo ſolo ablato perit creatura pura, non eſſet requiſitum eſſentiale ad eſſe puræ creaturæ, quia ex declaratis num. 16. omne requiſitum eſſentiale rei eſt ens ejusmodi, ſine quo res ex ſe ab intrinſeco [ac proinde ratione ſui] eſſe non poteſt. Sed ablato DEO non perit creatura pura ratione ſui, ut docetur ab Oppoſitis citatis num. 181. Ergo ſolo ablato DEO non perit creatura pura. Tum quia id, quo ſolo ablato perit aliqua res, eſt realiter identificatum eidem rei, ut declaratum num. 186. ad finem. Ergo & id, quo ſolo ablato perit creatura pura, eſt realiter identificatum creaturæ puræ. Atqui DEUS realiter non identificatur creaturæ puræ. Ergo ſolo ablato DEO non perit creatura pura; nec oppoſitum aſſerendi ullum eſt ſolidum fundamentum.

189. Dices 1mò. Ex ablatione ſolius DEI neceſſariò ſequitur objectivè perire hominem. Ergo ſolo ablato DEO perit homo. Probatur Antecedens Ex una parte certum eſt, quòd ex ablatione DEI ſequitur objectivè propter connexionem eſſentialem perire hominem. Ex altera parte ex nullius prætereà alterius entis ultra DEUM ablatione ſequitur objectivè perire eundem hominem, quia nullum ens tale ultra DEUM poteſt oſtendi, ad cujus ablationem ſequitur perire hominem, quod enim? Ergo ex ablatione ſolius DEI ſequitur objectivè perire hominem. Ita R. P. Domaradzki in Logica

num. 564. & in Compendio Connotatorum num. 8. Ita quoq; de verbo ad verbum R. P. Kobielski in Physica num. 102. nisi quòd terminis ultimi consequentis penultimo loco superaddiderit ly: *Consequenter*, ut ita evitaret retorsionem de parte hominis. Respondeo retorquendo argumentum. Iuxta Oppositos ex ablatione solius DEI sequitur perire hominem; seu ex ablatione DEI sequitur perire hominem, & ex nullius praeterea alterius ultra DEUM entis ablatione sequitur perire hominem. Ergo 1*mò* ex ablatione partis constituentis hominem non sequitur perire hominem, quia pars hominis (ut supponitur) puri, utiq; est alterum ens ultra ac praeter DEUM. Ergo 2*dò* ex ablatione unionis inter animam & corpus hominis non sequitur perire hominem, ac proinde praefata unio contra sensum Opponentium non est connotatum essentialiter requisitum ad esse hominis. Ergo 3*tiò* ex ablatione actionis conservativae hominis non sequitur perire hominem, ac proinde iterum praedicta actio conservativa hominis contra communionem omnium sensum non est connotatum essentialiter requisitum ad esse hominis &c. Hujus 3*tiae* & 2*dae* retorsionis telum non declinat etiam additamentum R. P. Kobielski. Praeterea etiam sic potest inverti argumentum. Ex existentia creaturae sequitur existere DEUM, ut certum est omnibus; & ex nullius praeterea alterius ultra creaturam existentia sequitur (Philosophicè à posteriori, ut suppono semper) existere DEUM, ex cujus enim alterius? An ex existentia chimaerae vel negationum contingentium &c? Ergo ex solius creaturae existentia sequitur existere DEUM. Ergo sola existente creatura DEUS existeret. Directè nego Antecedens. Ejus probationi nego 2dam assumpti partem cum sua ratione, cujus nullitas patet ex instantiis 2dae & 3tiae retorsionis.

190. Dices 2dò. Si non ex solius DEI ablatione sequeretur perire hominem, tunc ex ablatione DEI & hominis aut partis constituentis hominem sequeretur perire hominem. Sed hoc non. Ergo &c. Probatur Minor. Tum quia aliàs homo sicut connectitur cum DEO, ita connecteretur cum lapide, nam etiam ablato lapide, sed non solo, verùm cum ipso homine, vel parte ejus, omnino perit homo. Ita R. P. Domaradzki in Logica num. 564. & in Compendio Connotatorum num. 8. Tum quia aliàs [addit idem in eodem Compendio num. 8.] labefactaretur connexio creaturæ cum DEO, quia æquè solo ablato lapide, atq; solo ablato DEO non periret homo, & æquè ablato lapide cum homine, atq; ablato DEO cum homine periret homo. Eandem rationem innuit R. P. Kobielski in Physica num. 103. in ursione 5ta. Tum quia aliàs [addit R. P. Kobielski loco citato in ursione 6ta] etiam v. g. lapis esset requisitum essentiale hominis, quia etiam ablato lapide & prædicato v. g. adæquatè identificato homini perit homo. Respondeo. 1mò nego sequelam Majoris, quia sublatio hominis è rerum natura potest optimè inferri neq; ex ablatione solius DEI, neq; ex ablatione DEI & hominis aut partis constituentis hominem, sed vel ex ablatione DEI præcisivè, seu ex Antecedente exprimente quidem ablationem DEI, præscindente tamen ab hoc, solusne, an non solus pereat DEUS, ut cum dicitur: *Deus perit. Ergo homo perit*, ubi sicut in consequente præscinditur, solusne an non solus pereat homo, ita in Antecedente præscinditur, solusne an non solus pereat DEUS; vel ex ablatione DEI, & alicujus alterius realiter adæquatè distincti ab homine, ut cum dicitur: *Perit DEUS & actio conservativa hominis. Ergo perit homo &c.* Hinc patet responsio ad hoc argumentum, quo probari potest supràdicta sequela. *Cum ex abla-*

tione

tione DEI infertur sublatio hominis, utiq; infertur ex ablatione tali, quæ est ex parte objecti. Atqui ex parte objecti non potest esse ablatio DEI, nisi vel solius, vel non solius DEI. Ergo cùm ex ablatione DEI infertur sublatio hominis, infertur ex ablatione vel solius, vel non solius DEI. Atqui non ex ablatione solius DEI, ut vult responsio. Ergo ex ablatione non solius DEI. Ergo deniq; infertur sublatio hominis ex ablatione DEI & hominis, aut partis constituentis hominem. Huic nimirum argumento imprimis ex prædictis nego ultimam consequentiam. Deinde nego suppositum argumenti, quòd propositiones argumentationum debeant enuntiare omne id, & eo modo, quod & quomodo est ex parte objecti, quia propositiones argumentationum ut plurimùm præcisivè procedunt, prout patet in hoc v. g. Enthymemate: *Homo est corruptibilis. Ergo Petrus est corruptibilis*, ubi sicut in Consequente neq; affirmatur, quòd solus Petrus sit corruptibilis, neq; affirmatur quòd non solus Petrus sit corruptibilis, sed præscinditur ab hoc, solusne an non solus Petrus sit corruptibilis, licèt ex parte objecti vel solus vel non solus Petrus sit corruptibilis, ita in Antecedente neq; affirmatur, quòd solus homo sit corruptibilis, neq; affirmatur quòd non solus homo sit corruptibilis, sed præscinditur ab hoc: solusne an non solus homo sit corruptibilis, licèt ex parte objecti vel solus vel non solus homo sit corruptibilis. Pariter ergo licèt ex parte objecti non possit esse ablatio DEI nisi vel solius in aliqua suppositione, vel non solius in alia, tamen in Antecedente hujus v. g. Enthymematis: *Perit Deus. Ergo perit homo*, præscinditur ab hoc, solusne an non solus pereat DEUS &c. 2dò nego Minorem, quia recta est hæc illatio: *Perit DEUS, & homo. Ergo perit homo*; imò recta est etiam hæc consequentia: *Lapis perit & homo. Ergo perit homo*; nam universaliter

liter à veritate totius propositionis copulativæ rectè arguitur ad veritatem unius propositionis contentæ in copulativa, ut certum est Dialecticis. 1ma in contra rationi nego sequelam, quia homo ex se ab intrinseco non potest ullatenus esse sine DEO, utpote essentialiter dependens à DEO in esse & conservari; jam autem sine lapide potest esse homo, utpote independens essentialiter à lapide in esse & conservari. Quòd ablato lapide cum homine pereat homo, verissimum est. Quid tum? Ergo homo sicut connectitur cum DEO, ita connectitur cum lapide, nego consequentiam. Disparitas est, quia licèt ex prædictis recta sit illatio ista: *Perit lapis & homo. Ergo perit homo*; nulla tamen est illatio ista: *Perit lapis. Ergo perit homo*, quia homo in suo esse & conservari non dependet essentialiter à lapide. E contra recta est illatio non solùm hæc: *Perit DEUS & homo. Ergo perit homo*, sed etiam ista: *Perit DEUS. Ergo perit homo*, quia homo in suo esse & conservari essentialiter dependet à DEO tanquam à causa 1ma omnium creaturarum. Imò recta est etiam hæc illatio: *Perit DEUS & v. g. musca. Ergo perit homo*; secus illatio ista: *Perit lapis & musca. Ergo perit homo*; quorũ certè non alia potest esse ratio, nisi quòd homo ex se ab intrinseco non possit esse sine DEO, possit autem esse sine lapide & musca, ac proinde nec cum lapide connectatur nec cum musca, aliàs si connecteretur saltem cum lapide, recta esset etiam altera ex prædictis illatio, sicut recta est 1ma. 2da rationi nego pariter sequelam ex prædictis. Quod ablato solo sive lapide sive DEO non periret homo, concedo. Quid tum? Ergo labefactatur connexio creaturæ cum DEO, nego consequentiam & suppositum, quòd ad connexionem v. g. entis A. cum ente B. realiter adæquatè distincto ab ente A. requiratur, ut ablato solo B. pereat A. hoc enim requirendi

nullum

nullum est fundamentum, sed sufficit (cur enim non?) ut A ex se ab intrinseco non possit esse sine B. acproinde pereunte B necessariò pereat A. Quòd verò æquè ablato lapide cum homine, atque ablato DEO cum homine, periret homo, hoc nego, quia ablato DEO cum homine, periret homo & purè arguitivè propter essentialem connexionem entitatis suæ cum entitate DEI realiter adæquatè distinctæ ab entitate hominis, & simul formaliter propter identitatem sui secum ipso, ablato autem lapide cum homine periret homo solùm formaliter propter identitatem sui secum ipso, non periret verò purè arguitivè propter essentialem connexionem entitatis suæ cum entitate lapidis &c. Addo Juxta Oppositos citatos num. 181. solo ablato DEO creatura non perit ratione sui. Ergo potiùs sententia Connotatistica labefactat connexionem creaturæ cum DEO. 3*tiæ rationi*, nego sequelam, quia lapidi respectu hominis non competit definitio requisiti essentialis data num. 16 Quod ablato lapide simulque prædicato adæquatè identificato homini pereat homo, quid tum? Ergo lapis est requisitum essentiale hominis, nego consequentiam, similem imò objectivè identicam huic: *Ablato eo, quod non est requisitum essentiale hominis, simulque eo, quod est requisitum essentiale hominis, perit homo. Ergo quod non est requisitum essentiale hominis, est requisitum essentiale hominis &c.*

191. Dices 3*tiò*. Ablato DEO perit Petrus. Sed ablato solo DEO perit DEUS. Ergo ablato solo DEO perit Petrus. Ita R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 449. ad finem, ubi etiam testis est, quòd *Connotatistæ tali utantur syllogismo.* Idem in re argumentum his terminis propositum: *Ablato DEO aufertur creatura. Sed ablato solo DEO aufertur DEUS. Ergò ablato solo DEO aufertur creatura*, fusè per integras quatuor paginas defendit R.

P. Tuchołka in Logica num. 200. Ubi etiam ab eodem sub ly: *Responsum deinde 3tiò*, forma prædicti syllogismi ita declaratur. Syllogismus hic: *Ablata parte v. g. hominis perit totum, scilicet totus homo. Sed ablatâ solâ animâ perit pars hominis. Ergo ablatâ solâ animâ perit totum, scilicet totus homo*, rectè concludit. Ergo idem (inquit) dicendum & de illo altero; uterque enim est æquali modo formatus. Sic pro connotatis arguendi fundamentum jecit subtilissimus R. P. Ioannes Gzowski in suis non una luce dignis lucubrationibus Logicis, tali (quod tamen ille num. 1007. captiosum esse confessus est & non negavit) proposito argumento. *Cum quo aliqua creatura connectitur, illo ablato perit. Sed aliqua creatura connectitur cum solo DEO. Ergo aliqua creatura perit solo ablato DEO.* Respondeo retorquendo multipliciter argumentum. 1*mò*. Ablatâ substantiâ panis & vini pereunt accidentia panis & vini. Sed ablatâ solâ substantiâ panis, & vini, perit substantia panis & vini. Ergo ablatâ solâ substantiâ panis & vini pereunt accidentia panis & vini. Atqui in Eucharistia, ex entibus ratis perit sola substantia panis & vini. Ergo in Eucharistia pereunt accidentia panis & vini. 2*dò*. Ablato DEO, & quocunque ente creato realiter adæquatè distincto à DEO, non solus perit DEUS. Sed ablato solo DEO perit DEUS, & quodcunque ens creatum realiter adæquatè distinctum à DEO, ut volunt Connotatistæ. Ergo ablato solo DEO non solus perit DEUS. 3*tiò*. Posita unione animæ Petri cum corpore Petri ponitur Petrus. Sed posita sola unione animæ Petri cum corpore Petri ponitur unio animæ Petri cum corpore Petri. Ergo posita sola unione animæ Petri cum corpore Petri ponitur Petrus. 4*tò*. Omnis homo est animal. Sed omnis & solus homo est homo. Ergo omnis & solus homo est animal. 5*tò*.

Omne

Omne animal est vivens. Sed solum animal est animal. Ergo solum animal est vivens. *6tò.* Hic homo est substantia. Sed solus hic homo est hic homo. Ergo solus hic homo est substantia. *7mò.* Pater æternus est Omnipotens. Sed solus Pater æternus est Pater æternus. Ergo solus Pater æternus est Omnipotens. *8vò.* Filius DEI est Omniscius. Sed solus Filius DEI est Filius DEI. Ergo solus Filius DEI est omniscius. *9nò.* Spiritus Sanctus est immensus. Sed solus Spiritus Sanctus est Spiritus Sanctus. Ergo solus Spiritus Sanctus est immensus. *10mò.* Denique etiam à R. P. Gzowski insinuatum argumentum est simile huic: *Cum quo Petrus comedit, cum illo simul existit in rerum natura. Sed comedit cum solo Paulo. Ergo cum solo Paulo existit in rerum natura.* Directè nego prædictis syllogismis consequentiam, propter vitia eorundem sequentia.

192. *1mum vitium* in 1mo & 2do objectionis syllogismo est, quia præfati syllogismi sunt in 1ma figura; & in aliquo modo distincto à Friselomorum; constant tamen Minore partialiter negativa; quod in modis 1mæ figuræ distinctis à Friselomorum est vitiosum, ut declaro per partes. *1mò.* Jn 1mo syllogismo objectionis hic medius terminus: *Perit DEUS*, & in 2do hic medius terminus: *Aufertur DEUS*, in Majori pro subjecto, in Minori ponitur pro prædicato, ut patet reflectenti. Ergo præfati syllogismi sunt in 1ma figura. *2dò.* Iidem syllogismi non constant conclusione particulari negativa, ut patet reflectenti ad terminos, & præterea ad hoc, quia juxta Oppositos ablato per impossibile solo DEO universaliter in omni suppositione perit Petrus, aufertur creatura &c. Ergo præfati syllogismi debent esse in aliquo, ipsis Objicientibus meliùs noto, 1mæ figuræ modo, distincto à Friselomorum; ac aliàs prædicti syllogismi

constarent etiam Minore negativa, quod negat acutissimus eorundem defensor R. P. Tuchołka in Logica num. 200. sub ly: *Responsum deinde 3tio.* Sequeretur quoque, quòd etiam 1mus retorsionis syllogismus esset in Frisesomorum, ac proinde concluderet &c. 3*tio.* Minor 1mi [ac similiter 2di) syllogismi objecti tam secundùm Nos, quàm secundùm Oppositos exponitur per propositionem partialiter negativam. Ergo & ipsa est partialiter negativa ac proinde syllogismi præfati constant Minore partialiter negativa. Probatur Antecedens. Minor 1mi syllogismi objecti exponitur aut per hanc: *Ablato* DEO, *& nullo ablato alio ente realiter adæquatè distincto à* DEO *perit* DEUS, ut Nos volumus, aut per istam, ut volunt Connotatistæ: *Ablato ratione sui* DEO, *& nullo alio præter* DEUM *ente ratione sui ablato perit* DEUS. Ergo exponitur aut per hanc: *Ablato* DEO *perit* DEUS, *& nullo ablato alio ente realiter adæquatè distincto à* DEO, *perit* DEUS, aut per istam: *Ablato ratione sui* DEO *perit* DEUS, *& nullo alio præter* DEUM *ente ratione sui ablato perit* DEUS. Ergo ulteriùs Minor 1mi syllogismi objecti tam secundùm Nos, quàm secundùm Oppositos exponitur per propositionem partialiter negativam, quia tam hæc pars exponentis: *Nullo ablato alio ente realiter adæquate distincto à* DEO, *perit* DEUS, quàm ista: *Nullo alio præter* DEUM *ente ratione sui ablato perit* DEUS, est propositio negativa, ut declaro. Hæc propositio: *Ex nullius ablatione entis realiter adæquatè distincti à* DEO *sequitur perire* DEUM, seu hæc in re propositio: *Nullius ablatio entis realiter adæquatè distincti à* DEO, *infert ablationem* DEI, est propositio negativa, ut est evidens. Ergo & hæc propositio: *Nullo ablato alio ente realiter adæquatè distincto à* DEO, *perit* DEUS, est propositio negativa, quia hæc altera propositio æquivalet illi priori, sicut hæc v.

g. pro-

g. propositio: *Ablato Patre æterno perit* DEUS, æquivalet isti: *Ex ablatione Patris æterni sequitur ablatio* DEI, seu: *Ablatio Patris æterni infert ablationem* DEI *&c.* Similiter hæc propositio: *Ex nullius ratione sui ablatione entis aliûs præter* DEUM, *sequitur perire* DEUM seu hæc in re propositio: *Nullius ratione sui ablatio entis aliûs præter* DEUM, *infert ablationem* DEI, est propositio negativa, ut est evidens. Ergo hæc propositio: *Nullo alio præter* DEUM *ente ratione sui ablato perit* DEUS, est propositio negativa, quia hæc altera propositio æquivalet illi priori &c. 4to. Ex una parte, syllogismi in modis 1mæ figuræ distinctis à Frisesomorum debent constare Minore affirmativa, ut certum est omnibus, juxta illam regulam Dialecticam procedentem de omnibus [excepto Frisesomorum] modis 1mæ figuræ: *Sit Minor affirmans.* Ex altera parte iidem syllogismi debent constare Minore purè affirmativa, quia aliàs hi v. g. syllogismi concluderent: *Omne animal est vivens. Sed solum animal, est animal. Ergo solum animal, est vivens. Omnis homo est substantia. Sed solus homo est homo. Ergo solus homo est substantia. Omne animal rationale est quid compositum ex materia & forma. Sed solus homo est animal rationale. Ergo solus homo est quid compositum ex materia & forma &c.* Porro prædicti syllogismi sunt vitiosi, ut est extra dubium, certèq; non propter aliā rationem, nisi quòd formati in 1ma figura, & in modo aliquo distincto à Friseiomorum, non constent Minore purè affirmativa, ob quam enim aliam rationem sunt informes? Idem vitiat etiam illum 3tium syllogismum, quem ex Manuscriptis R. P. Gzowski retuli num. 191. ad finem objectionis

193. 2*dum vitium* in 1mo & 2do objectionis syllogismo est, quia præfati syllogismi ex jam declaratis superiùs, sunt in 1ma figura, & in aliquo modo distincto à Frisesomorum; nihilominus contra illam regulam Dialecticam procedentem de o-

mnibus (excepto Frisesomorum) modis 1mæ figuræ: *Nec Major sit specialis*, constant Majore speciali seu particulari, nam Major 1mi [ac similiter 2di] syllogismi facit hunc sensum: *In aliqua suppositione impossibili ablato* DEO *perit Petrus*, non enim facit sensum istum: *In omni suppositione impossibili ablato* DEO *perit Petrus*, aliàs dicta Major (quæ ab Objicientibus Doctissimis, & ab omnibus vera esse supponitur) non esset vera, falsum siquidem est, quòd in omni suppositione impossibili ablato DEO pereat Petrus, si enim supponatur per impossibile auferri Deus, & præterea nec ratione sui nec ratione alterius auferri ulla creatura pura, utique non periret Petrus.

194. Addo supradictis sequentia. 1mò. Etiam ille syllogismus: *Ablata parte hominis perit homo. Sed solâ ablatâ animâ hominis perit pars hominis. Ergo solâ ablatâ animâ hominis perit homo*, solùm materialiter seu ratione materiæ concludit, non verò formaliter seu ratione formæ, utpote formatus in 1ma figura & in aliquo modo distincto à Frisesomorum, constansque Minore partialiter negativa. 2dò 1mum & 2dum objectionis argumentum, in sententia Oppositorum, etiam Minorem habet simpliciter falsam, quia in sententia illorum aliquo etiam alio præter DEUM ente, v. g. Petro, ratione sui ablato, perit DEUS, ut probo. Iuxta Connotatistas Petrus est Antonomasticum connotatum actus Divini liberi volentis existere Petrum. Ergo juxta Connotatistas ablato ratione sui Petro (etiam solo) perit actus Divinus liber volens existere Petrum. Ergo juxta Connotatistas ablato ratione sui Petro perit aliquid realiter adæquatè identificatum DEO, quia secundùm illos actus Divini liberi contingentes realiter adæquatê identificantur DEO. Ergo juxta Connotatistas ablato ratione sui Petro perit DEUS. 3tiò Ille quoque syllogismus Archi-

Conno-

Connotatisticus: *Cum quo aliqua creatura connectitur, illo ablato perit. Sed aliqua creatura connectitur cum solo* DEO. *Ergo aliqua creatura perit solo ablato* DEO, Minorem habet simpliciter falsam, quia omnis creatura connectitur saltem cum actione productiva sui &c.

195. Dices 4*tò*. Recta est hæc illatio: *Perit* DEUS. *Ergo perit creatura*, ut certum est omnibus. Ergo ex solius DEI ablatione sequitur perire creaturam, quia in prædicto Enthymemate ex solius DEI ablatione infertur perire creaturam, nam 1*mò* non potest ostendi, ex cujus alterius præter DEUM ablatione in dicto Enthymemate inferatur perire creaturam. 2*dò*. In Antecedente ejusdem Enthymematis nullius alterius entis ablatio exprimitur. 3*tiò*. Si in prædicto Enthymemate non ex solius DEI ablatione inferretur perire creaturam, tunc inferretur ex ablatione DEI & ipsius creaturæ, aut prædicati realiter adæquatè identificati creaturæ. Sed hoc non. Ergo &c. Ita R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 7. R. P. Radominski in Logica num. 584. R. P. Popiel in Logica num. 599. R. P. Tuchołka in Logica num. 178. R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 449. Respondeo retorquendo argumentum. Recta est hæc illatio: *Ponitur unio animæ Petri cum corpore Petri. Ergo ponitur Petrus.* Ergo ex positione solius unionis animæ Petri cum corpore Petri, sequitur poni Petrum, quia in prædicto Enthymemate ex positione solius unionis præfatæ infertur poni Petrum, non enim potest ostendi, ex cujus alterius positione in dicto Enthymemate inferatur poni Petrum, ac in Antecedente ejusdem argumentationis nullius alterius entis positio exprimitur &c. Ergo sola posita unione animæ Petri cum corpore Petri ponitur Petrus, ac proinde posita unione animæ Petri cum corpore Petri, & nullo alio ultra prædictam unio-

nem ente posito ponitur Petrus &c. Item. Recta est hæc illatio: *Perit* DEUS. *Ergo perit Petrus*, ut certum est omnibus. Ergo ex ablatione DEI sequitur solum Petrum perire, quia in prædicto Enthymemate solius Petri interitio infertur ex ablatione DEI, non enim potest ostendi, cujus alterius præter Petrum interitio inferatur ex ablatione DEI in prædicto Enthymemate, ac in consequente ejusdem argumentationis, nullius alterius, nisi Petri sublatio exprimitur &c. Ergo ablato DEO solus Petrus perit, ac proinde ablato DEO Petrus perit ratione alterius, scilicet ratione ablati DEI, & nihil aliud plus, ultra Petrum etiam ratione alterius perit, &c. Item. Recta est illatio ista: *Petrus est homo. Ergo Petrus est animal*, Ergo ex humanitate Petri sequitur solum Petrum esse animal, quia in prædicto Enthymemate solius Petri animalitas infertur ex humanitate Petri, non enim potest ostendi, cujus alterius præter Petrum animalitas inferatur ex humanitate Petri in prædicto Enthymemate, ac in consequente ejusdem argumentationis, nullius alterius, nisi Petri animalitas exprimitur &c. Ergo denique ex vero sequitur falsum, quia verum est hoc Antecedens: *Petrus est homo*, falsum autem hoc Consequens: *Solus Petrus est animal.*

196. Directè concesso Antecedente nego consequentiam cum suo in probationem illius assumpto. *Rationi 1mæ* concedo, quòd in prædicto Enthymemate ex nullius alterius præter DEum entis ablatione inferatur perire creaturam, quia in Antecedente argumentationis dictæ ad inferendam sublationem creaturæ non assumitur ablatio ullius alterius præter DEum, entis. Quid tum? Ergo in eodem illo Enthymemate ex solius DEI ablatione infertur perire creaturam, nego consequentiam similem v. g. huic: *In hoc legitimo, & propositionibus verissimis constante Enthymemate*: Petrus est homo. Er-

go

go Petrus est animal, nullum aliud præter Petrum ens infertur esse animal. Ergo in hoc Enthymemate infertur solum Petrum esse animal, ac proinde ex vero sequitur falsum &c. Quare sicut in immediato Enthymemate retorsionis, licèt nullum aliud præter Petrum ens inferatur esse animal, tamen neq; infertur solùm Petrum esse animal, neq infertur non solum Petrum esse animal, sed præcisivè infertur Petrum esse animal, præscindendo in consequente ab hoc, solusne an non solus Petrus sit animal, seu nec enuntiando quòd solus, nec enuntiando quòd non solus Petrus sit animal; ita in Enthymemate objectionis licèt ex nullius alterius præter DEum entis ablatione inferatur perire creaturam, tamen neq; ex solius, neq; ex non solius DEI ablatione infertur perire creaturam, sed interitio creaturæ infertur præcisivè ex ablatione DEI, præscindendo in Antecedente ab hoc, solusne an non solus pereat DEus, seu nec enuntiando quòd solus, nec enuntiando quòd non solus DEus pereat. *Urgebis.* In prædicto Enthymemate infertur perire creaturam ex ablatione DEI, ut certum est, & ex nullius alterius præter DEum entis ablatione, ut conceditur. Ergo in prædicto Enthymemate ex solius DEI ablatione infertur perire creaturam. Ita in re R. P. Tucholka in Logica num. 178. inquiens: *Si ex DEI ablatione infertur perire homo, & ex nullius alterius ablatione perire, rectè sequitur quòd ex solius DEI ablatione inferatur perire homo.* Respondeo negando consequentiam, quia (unde retorqueri potest argumentum) sicut in hoc Enthymemate: *Ponitur unio animæ Petri cum corpore Petri. Ergo ponitur Petrus*, licèt positio Petri inferatur ex positione unionis prædictæ & ex nullius alterius præter unionem entis positione, non eo ipso tamen positio Petri infertur ex positione solius unionis prædictæ, aliàs sola posita prædicta unione poneretur Petrus

&c.

&c. ita in hoc Enthymemate: *Perit* DEUS. *Ergo perit creatura*, licèt ſublatio creaturæ inferatur ex ablatione DEI & nullius alterius præter DEum ablatione, non eo ipſo tamen ſublatio creaturæ infertur ex ablatione ſolius DEI. *Inſtabis.* Ex ſolius DEI ablatione inferri ſublationem creaturæ, eſt inferri ſublationem creaturæ ex ablatione DEI & ex nullius alterius præter DEUM ablatione, ſicut ſolùm DEum auferri eſt auferri DEUM & nullum aliud præter DEum auferri. Ergo ſi &c. Reſpondeo nego aſſumptum, & dico, quòd ex ſolius DEI ablatione inferri ſublationem creaturæ non ſit præcisè ex ablatione DEI & nullius alterius præter DEUM ablatione inferri ſublationem creaturæ, ſed eſt inferri ſublationem creaturæ ex ablatione DEI, & præter hanc ex nullius entis realiter adæquatè DEO contradiſtincti ablatione aſſumpta pro medio termino ad inferendam ſublationem creaturæ, ut cùm dicitur: *Deus perit, & nihil aliud realiter adæquatè diſtinctum à Deo perit. Ergò Chriſtus perit &c.* Porro in hoc Enthymemate: *Deus perit. Ergo pura* (ut supponitur) *creatura perit*, non infertur ſublatio creaturæ ex ablatione DEI & ex nullius entis realiter adæquatè DEO contradiſtincti ablatione aſſumpta pro medio termino ad inferendam ſublationem creaturæ, quia in Enthymemate ſupradicto ablatio DEI, & præter hanc nullius entis realiter adæquatè DEO contradiſtincti ablatio non aſſumitur pro medio termino ad inferendam ſublationem creaturæ puræ, aliàs rectiſſima illatio prædicta æquivaleret huic: *Deus perit, & nihil aliud realiter adæquatè Deo contradiſtinctum perit. Ergo pura creatura perit*; cujus certè illationis nullitatem quis etiam non palpet? Addo, quòd etiam ſolum DEum auferri non ſit præcisè auferri DEUM, & nullum aliud ens præter DEUM auferri; quia ſicut ſola ablata parte, præter partem perit aliquid aliud, nempe totum

Ita solo ablato DEO, præter DEum perit aut potiùs periret aliquid aliud, nempe totum hypostaticum. Unde ex assertis superiùs solum DEum auferri est auferri DEum, & nihil aliud realiter adæquatè DEO contradistinctum auferri &c. *Rationi 2da* nego consequentiam similem isti: *In consequente hujus Enthymematis: Perit Deus. Ergo perit Petrus, nullius alterius entis, nisi Petri ablatio exprimitur. Ergo in hoc Enthymemate ex ablatione Dei infertur solum Petrum perire*, ac ablato per impossibile DEO solus Petrus periret. *Rationi 3tiæ* nego sequelam ex dictis num. 190.

197. Dices *5tò.* Recta est etiam ista illatio: *Solus DEUS perit. Ergo creatura perit.* Ergo &c. Probatur assumptum. *1mò.* Ex ratione essentialis connexionis creaturæ cum DEO verissimum est, quòd si per impossibile etiam solus DEUS auferretur formaliter, eo ipso deberet consequenter etiam creatura perire. Ergo &c. Ita R. P. Gzowski in Logica de Connotatis. *2dò.* Recta est ista consequentia: *Perit DEUS. Ergo perit Petrus.* Ergo recta quoq; est etiam hæc: *Perit solus DEUS. Ergo perit Petrus*, quia prior illatio prorsus est eadem, ac posterior, siquidem in priori Enthymemate descendit consequentia ex ablatione solius DEI, non verò ex ablatione DEI & Petri &c. Ita arguere & dicere Connotatistas testatur R. P. Koczorowski in Sacramentis num. 499. ad finem. *3tiò* Vera est hæc propositio: *Si tantùm Deus velit efficaciter positionem alterius mundi, ponetur alter mundus.* Ergo vera quoq; est etiam hæc propositio: *Si tantùm Deus auferatur, auferetur creatura.* Ita R. P. Tuchołka in Logica num. 182. *4tò* Recta est ista consequentia: *Sola pars perit. Ergo totum perit* Ergo etiam recta est ista consequentia: *Solus Deus perit. Ergo creatura perit.* Probatur consequentia, quia sicut non implicat sola ablata parte perire totum, ita pa-

riter

riter non implicat solo ablato DEO perire creaturam. Ita in re R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 5. Iuxta alios ideo sola ablata parte perit totum, quia totum non potest esse sine sua parte. Atqui etiam creatura non potest esse sine DEO. Ergo &c. 5tò. Ex hac propositione: *Solus Deus perit*, sequitur perire creaturam. Ergo &c. Probatur Antecedens. Quando ex propositione exponente hanc: *Solus Deus perit*, sequitur perire creaturam, tunc etiam ex ista exponibili: *Solus Deus perit*, sequitur perire creaturam, ut certum est. Sed ex propositione exponente hanc: *Solus Deus perit*, sequitur perire creaturam. Ergo &c. Probatur Minor. Ex hac propositione: *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, sequitur perire creaturam. Ergo ex propositione exponente hanc: *Solus Deus perit*, sequitur perire creaturam. Consequentia patet, quia propositio Antecedentis est exponens propositionem Consequentis. Antecedens probatur. Iuxta Dialecticam quod sequitur ex una parte propositionis copulativæ, illud sequitur etiam ex tota propositione copulativa. Sed hæc propositio exponens: *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, est propositio copulativa; & ex 1ma ipsius parte, scilicet ex hac: *Deus perit*, sequitur perire creaturam. Ergo &c. Ita acutissimè pro Connotatistis Auctor Dissertationis Philosophicæ de Connotatis & Constitutivis Denominationum Disp. 2. num. 173. Respondeo invertendo pro Nobis argumentum. Rectæ sunt illationes istæ: *Sola unio animæ Petri cum corpore Petri perit. Ergo anima Petri secundùm se sumpta non perit. Omnis & sola creatura potest aliquomodo perire. Ergo Deus nullo modo potest perire. Solus Deus extitit ab æterno. Ergo creatura non extitit ab æterno &c.* Ergo etiam hæc recta est illatio: *Solus Deus per impossibile perit. Ergo pura creatura non perit.* Directè nego assumptum.

198. *Probationi 1.ma* nego Antecedens. Tum quia ablato Deo, & non ablato ullo alio ente realiter adæquatè distincto à Deo, etiam consequenter non perit creatura pura. Ergo falsissimum est, quòd solo ablato Deo, etiam consequenter ratione connexionis essentialis pereat creatura pura. Tum quia ad connexionem essentialem v. g. entis A. cum ente B. realiter adæquatè distincto ab ente A. non requiritur ut ablato solo B. etiam consequenter pereat A. nullum enim est fundamentum id requirendi ad rationem connexionis essentialis. Ergo solo ablato Deo etiam consequenter ratione connexionis essentialis non debet perire creatura.

199. *Probationi 2da* concedo Antecedens, nego consequentiam cum sua ratione. Tum quia sicut hæc propositio: *Sola pars perit*, exponitur per hanc: *Pars perit, & nihil aliud realiter adæquatè distinctum à parte perit*, ita hæc propositio: *Solus Deus perit*, exponitur per hanc: *Deus perit, & nihil aliud realiter adæquatè distinctum à Deo perit*; ex quo certè non sequitur perire creaturam puram, imò sequitur illam non perire. E contra hæc propositio: *Deus perit*, utpote nullo constans termino exponibili, non exponitur per hanc: *Deus perit, & nihil aliud realiter adæquatè distinctum à Deo perit*, ac proinde ratio militans contra hanc illationem: *Solus Deus perit. Ergo pura creatura perit*, non militat contra illationem istam: *Deus perit. Ergo pura creatura perit.* Tum quia hæc propositio: *Deus perit*, est propositio simplex, non composita, ac in eadem est suppositio impossibilis unica, quòd scilicet pereat Deus, jam autem hæc propositio: *Solus Deus perit*, est propositio non simplex, sed composita, utpote exponibilis exclusiva, in illaq; est suppositio impossibilis duplex, quòd scilicet & pereat Deus, & solus pereat. Ergo prædictæ illationes constant diversis specie Antecedentibus, ac pro-

inde etiam ipſæ ſunt diverſæ ſpecie, conſequenter prior illatio non eſt eadem ac poſterior.

200. *Probationi 3tiæ* nego Antecedens, quia volitio, quâ Deus efficaciter velle poteſt alterum mundum, vel adæquatè identificatur Deo, ut volunt Connotatiſtæ, vel eſt ſemiextrinſeca Deo, ac partialiter conſtituitur, aut potiùs ſi daretur, conſtitueretur actione productiva alterius mundi, ut probabiliùs à pluribus docetur Theologis. Si 1mum. Ergo falſa eſt hæc propoſitio: *Poſita ſola volitione Divina efficaciter volente alterum mundum ponetur alter mundus*, quia poſita prædicta volitione adæquatè identificata Deo, & per impoſſibile non poſito præter illam ullo ente realiter adæquatè diſtincto ab eadem, certè non poneretur alter mundus, ac proinde in prædicta ſententia falſa eſt hæc propoſitio: *Si tantùm Deus velit efficaciter poſitionem alterius mundi, ponetur alter mundus.* Si 2dum. Ergo iterum falſa eſt hæc propoſitio: *poſitis ſolis, volitione Divina volente alterum mundum, & actione productiva alterius mundi, ponetur alter mundus*, quia poſita prædicta volitione & actione productiva alterius mundi, nulloq; præterea per impoſſibile poſito ente realiter adæquatè diſtincto à præfatis entitatibus, certè non poneretur alter mundus &c.

201. *Probationi 4tæ* retorqueo argumentum. Recta eſt hæc conſequentia: *Sola pars perit. Ergo totum ratione ſui perit*; quia perit ratione conſtitutivi proprii. Ergo etiam recta eſt iſta conſequentia: *Solus Deus perit. Ergo creatura ratione ſui perit*; quod eſt contra communem Anticonſtitutiviſtarum ſenſum. Directè nego conſequentiam cum ſua paritate. Diſparitas eſt, quia nulla eſt (quæ enim?) in hoc repugnantia, ut ablata parte, & non ablato per poſſibile vel impoſſibile ullo alio ente realiter adæquatè diſtincto à parte, pereat totum. E contra repugnat in terminis, ut ablato Deo, & non

ablato

ablato per impossibile ullo alio ente realiter adæquatè distincto à Deo, pereat creatura pura. Alteri ab aliis datæ probationi consequentiæ nego causalem, ideo enim potiùs sola ablata parte perit totum, quia ex jam dictis ablata parte, & non ablato per possibile vel impossibile ullo alio ente realiter adæquatè distincto ab eadem parte, perit totum; ac per nullam suppositionem etiam impossibilem non tollentem seipsam, potest esse totum sine sua parte, aliàs & esset totum, ut supponitur, & non esset totum, quia ablata etiam unica parte totius non possunt esse omnes partes totius. E contra ablato Deo, & non ablato per impossibile ullo alio ente realiter adæquatè distincto à Deo, non perit creatura pura, ut est evidens; ac per suppositionem impossibilem non tollentem seipsam potest existere creatura pura sine Deo, totumq; quodlibet sine suis puris requisitis &c.

202. *Probationis 5tæ.* argumento 1mo nego Antecedens. 2do argumento nego Minorem. 3tio argumento nego Antecedens. 4tum argumentum 1*mò* inverto pro Nobis. Iuxta Dialecticam quod sequitur ex una parte propositionis copulativæ, illud sequitur etiam ex tota propositione copulativa. Sed hæc propositio exponens: *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à* Deo *perit*, est propositio copulativa, & ex 2da illius parte, scilicet ex hac: *Nihil adæquatè distinctum à* Deo *perit*, sequitur non perire creaturam puram, ut deduco taliter. *Nihil adæquatè distinctum à* Deo *perit. Sed creatura pura est aliquid adæquatè distinctum à* Deo. *Ergo creatura pura non perit.* Ergo & ex tota hac propositione copulativa: *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à* Deo *perit*, sequitur non perire creaturam puram. Ergo deniq; & ex ista propositione: *Solus Deus perit*, legitimè sequitur non perire creaturam puram. 2*dò* retorqueo idem argumentum. Iuxta Dialecti-

eam quod sequitur ex una parte propositionis copulativæ, illud sequitur etiam ex tota propositione copulativa. Sed hæc propositio: *Chimæra ex existentia actuali & negatione existentiæ actualis, sibi identificatis, composita, existit & non existit*, est propositio copulativa, ac ex una ejusdem parte, scilicet ex hac: *Existit*, sequitur chimæram dictam esse possibilem, quia universaliter quod existit, est possibile ac juxta communiorem Philosophorum sensum ab actu ad potentiam valet consequentia viâ affirmativâ. Ergo & ex tota hac propositione copulativa: *Chimæra ex existentia actuali & negatione existentiæ actualis, sibi identificatis, composita, existit & non existit*, sequitur chimæram dictam esse possibilem. 3*tiò*. Eidem argumento nego Minorem quoad 2dam partem, quia (ut legere est etiam in Dissertatione Philosophica Disp. 2. ad finem numeri 173.) hæc propositio: *Deus perit*, quatenus conjuncta huic: *Et nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, ac proinde quatenus pars hujus propositionis copulativæ: *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, non habet vim illativam hujus propositionis: *Pura creatura perit*, ex 1ma enim propositione, quatenus conjuncta 2dæ, non potest legitimè inferri 3tia, aliàs (quod juxta omnes implicat) intellectus rectè dispositus posset simul assentiri duobus contradictoriis, ut probo. In prædicta immediatè hypothesi intellectus rectè dispositus posset assentiri tum huic propositioni: *Deus perit*, quatenus conjunctæ isti propositioni: *Et nihil adæquatè distinctum à DEO perit*, tum etiam huic: *Pura creatura perit*, ut patet reflectenti. Ergo posset assentiri & huic propositioni: *Nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, & isti: *Pura creatura perit*. Ergo ulteriùs posset assentiri & huic: *Nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, & huic: *Aliquid adæquatè distinctum à Deo perit*, quia pura creatu-

ra

ra perit, quæ eſt adæquatè diſtincta à Deo. Ergo deniq; poſſet aſſentiri duobus contradictoriis, quia hæ propoſitiones: *Nihil adæquatè diſtinctum à Deo perit. Aliquid adæquatè diſtinctum à Deo perit*, ſunt propoſitiones contradictoriæ. Dices. Ergo etiam iſta propoſitio: *Nihil adæquatè diſtinctum à* Deo *perit*, quatenus conjuncta huic: *Deus perit*, non habet vim illativam hujus propoſitionis: *Pura creatura non perit.* Reſpondeo nego paritatem eſſe. Tum quia ſi ex hac propoſitione: *Deus perit*, quatenus conjuncta huic: *Nihil adæquatè diſtinctum à DEO perit*, legitimè inferretur hæc propoſitio: *Pura creatura perit*, tunc intellectus rectè diſpoſitus, eo ipſo aſſentiri poſſet duobus ſimul contradictoriis, ut declaratum ſuperiùs. Ergo 1ma propoſitio quatenus conjuncta 2dæ non habet vim illativam 3tiæ. E contra cùm ex propoſitione iſta: *Nihil adæquatè diſtinctum à* Deo *perit*, quatenus conjuncta huic: Deus *perit*, infertur hæc propoſitio: *Pura creatura non perit*, intellectus rectè diſpoſitus non eo ipſo aſſentitur aut aſſentiri poſſet duobus ſimul contradictoriis, quibus enim? Tum quia hoc Enthymema: Deus *perit*, & *nihil adæquatè diſtinctum à* Deo *perit. Ergo pura creatura non perit*, conſtat Antecedente ex ſuppoſitione vero, ac iſta pars illius: *Nihil adæquatè diſtinctum à* Deo *perit*, etiam conjuncta huic: Deus *perit*, connectitur cum veritate hujus Conſequentis: *Pura creatura non perit*, nam veritas propoſitionis univerſalis, etiam junctæ alteri propoſitioni, connectitur cum veritate propoſitionis particularis contentæ in univerſali, ut patet inductione. E contra in hoc Enthymemate: Deus *perit*, & *nihil aliud adæquatè diſtinctum à Deo perit. Ergo pura creatura perit*, pars iſta: Deus *perit*, quatenus conjuncta huic: *Nihil adæquatè diſtinctum à Deo perit*, non connectitur cum veritate iſtius Conſequentis: *Pura creatura perit*, quia veri-

tati hujus Consequentis palam repugnat veritas istius Antecedentis: *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à Deo perit.*

203. Addo, quòd idem argumentum 4tum possit sic distingui. Quod sequitur ex una parte propositionis copulativæ, illud sequitur ex tota propositione copulativa, cùm veritas propositionis copulativæ non repugnat veritati consequentis, nec propositio copulativa continet quidquam falsificativum ejusdem consequentis, concedo; cùm veritas propositionis copulativæ repugnat veritati consequentis, vel propositio copulativa continet aliquid falsificativum ejusdem consequentis, nego. Porro veritas hujus propositionis; *Deus perit, & nihil adæquatè distinctum à Deo perit*, repugnat veritati istius consequentis: *Pura creatura perit*, ac prior illa propositio continet aliquid falsificativum ejusdem consequentis, ut patet ex declaratis numero superiore.

§. 7mus.

An possibile sit connotatum Antonomasticè tale?

204. DICO implicare præfatum connotatum. *Est communissima* (inquit R. P. Radominski in Logica num. 555.) *sententia dignissimorum in hac Provincia Doctorum, ne* (inquit *dicam Philosophicorum ac Theologicorum Numinum*) hac tempestate in Provincia Nostra aliquot nonnisi contra torrentem nitentibus. Teste quoq; Magno Suarez in Metaph. Disp. 47. Sect. 8. num. 9. eadem sententia est *communis Peripateticorum*, quam Cajetanus refert & Nyphus l. 5. Metaph. Disp. 16.

ac

ac secundùm Haunoldum agentem contra Connotatistas l. 1. de DEO, Tract. 1. Cap. 4. Controver. 1. §. 3. *ita nunc communiter omnes, postquam opinio connotatorum ab aula literatorum recessit.* Iam opposita Connotatistarum sententia à Mayrone in 1mum Disp. 29. Quæst. 2. a. 1. appellatur *absurda & inverisimilis*, à Bartholomæo Amico hìc Quæst. 4. Opinione 2. *falsa & improbabilis; ab aliis aliter notatur, & universim repudiatur*, inquit Ayleworth in Metaph. Tract. 2. Disp. 6. C. 1. n. 2. additq; num. 3. *Si solæ solutiones, quas argumentis adversùs hanc sententiam hactenus exhibuere, in consilium advocentur, non video, quî ullus his Auctoribus se adjungat.* Eandem sententiam Isquierdo Disp. 31. de DEO. Quæst. 4. num. 286. dicit *se judice haud probabilem esse*, ut refert R. P. Morawski in Quæstionibus de DEO Uno & Trino, Disp. 5. Quæst. 2. apud me pag. 330. A me citra omnem censuram sententiæ

205. Probatur 1*mò*. Assertio. Admissis acutissimis principiis Connotatisticis in hac de constitutivis ac connotatis Antonomasticis materia, constitutiva inadæquata totius physici distributivè sumpta ut talia non sunt constitutiva totius physici. Ergo implicant connotata Antonomastica. Consequentia patet, quia repugnat in terminis, ut constitutiva inadæquata totius physici non sint constitutiva totius physici. Antecedens probatur. Admissis principiis Connotatisticis in hac de constitutivis ac connotatis Antonomasticis materia, constitutiva inadæquata v. g. hominis distributivè sumpta ut talia, non sunt constitutiva hominis. Et sic de aliis constitutivis inadæquatis cujuscunq; totius physici. Ergo &c. Probatur Antecedens. Admissis principiis Connotatisticis in hac de constitutivis ac connotatis Antonomasticis materia, anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ

rationali, distributivè sumptæ ut tales, non sunt constitutiva hominis. Ergo &c. Probatur Antecedens. Ante omnia pono duo principia Connotatistica hac in materia. 1*mum*. Iuxta Connotatistas ex relatis num. 63. universaliter omne constitutivum est requisitum essentiale rei importatum aut saltem importabile in recto rei. 2*dum*. Iuxta eosdem Connotatistas ex relatis num. 64. importari in recto alicujus denominationis aut rei, est esse affirmabile verè per casum rectum de eadem denominatione aut re. His admissis, sic argumentor ad hominem, seu argumentor assumendo prædictas propositiones tanquam veras secundùm Connotatistas, licèt illæ revera quoad se non subsistant. Quæ sunt constitutiva hominis adæquatè (ut suppono semper) accepti, illa sunt requisita essentialia hominis importata aut importabilia in recto ejusdem hominis, ut patet ex 1mo Connotatistarum principio. Sed anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales, non sunt requisita essentialia hominis, importata aut importabilia in recto ejusdem hominis. Ergo &c. Probatur Minor. Quæ sunt requisita essentialia hominis, importata aut importabilia in recto ejusdem hominis, illa sunt affirmabilia verè per casum rectum de homine, adæquatè [ut suppono semper] accepto, ut patet ex 2do Connotatistarum principio. Sed anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali, distributivè sumptæ ut tales, non sunt affirmabiles verè per casum rectum de homine adæquatè accepto, quia ex demonstratis num. 66. falsa est hæc ex parte prædicati distributiva ut talis propositio: *Homo adæquatè acceptus est anima rationalis unita materiæ hominis, & materia hominis unita animæ rationali.* Ergo &c. Vel sic exactiùs in principiis meis datis num. 80. Falsa est propositio imme-

diatè

diatè suprà dicta Ergo prædicta constitutiva hominis distributivè sumpta ut talia, non sunt verè & identicè simpliciter per copulam: *Est*, affirmabilia de homine adæquatè accepto Ergo non importantur in recto hujus denominationis: *Homo adæquatè acceptus.* Ergo in principiis Oppositorum non sunt constitutiva hominis. Firmatur. Juxta Oppositos vera est propositio ista: *Paries albus est paries habens albedinem unitam sibi*; ac per ly: *Paries habens albedinem unitam sibi*, rectè explicatur ly: *Paries albus.* Ergo etiam vera est propositio ista: *Homo est animal rationale habens animam rationalem & materiam hominis unitas sibi*; ac per ly: *Animal rationale habens animam rationalem, & materiam hominis unitas sibi*, rectè explicatur ly: *Homo*, quæ enim vel ad speciem disparitas? Ergo in hac recta explicatione hominis: *Animal rationale habens animam rationalem & materiam hominis unitas sibi*, anima rationalis ac materia hominis importantur purè in obliquo, sicut in hac recta secundùm Connotatistas explicatione parietis albi: *Paries habens albedinem unitam sibi*, albedo ac unio importantur purè in obliquo. Ergo anima rationalis & materia hominis unitæ sibi sunt connotata, non constitutiva hominis, quia universaliter juxta Oppositos ex relatis num. 123. quod in recta explicatione rei importatur purè in obliquo, illud est connotatum, non constitutivum rei. En hominem Connotatisticum, solo animali rationali, vel præterea ad summum juxta declarata num. 171. constitutum anima connotante corpus ac unionem!

206. Probatur 2dò assertio. Admissis principiis Connotatisticis in hac de Constitutivis ac Connotatis Antonomasticis materia, totum physicum est constitutivum suæ partis actualis quà talis, quia Connotatisticæ definitiones constitutivi competunt toti physico comparato ad suam partem actualem

quà talem, ut patet ex declaratis num. 6. 7. 10. & 13. Ergo implicat connotatum Antonomasticum, quia implicat, ut totum physicum constituat suam partem actualem quà talem, siquidem totum physicum neq; potest esse adæquatum, neq; potest esse inadæquatum constitutivum suæ partis actualis quà talis. Non adæquatum; quia totum physicum, imò & per aggregationem [ex partim declaratis partim insinuatis num. 30.] realiter inadæquatè distinguitur à sua parte actuali quà tali. Non etiam inadæquatum; quia aliàs [ut arguit R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 6.] totum esset pars partis, adeoq; esset minus sua parte. Accedit, quòd etiam ipsi Anticonstitutivistæ impugnando plerasq; definitiones constitutivi, passim tanquam absurdum objiciant, quòd aliàs totum esset constitutivum suæ partis; & alioqui connotatum, quod ab illis semiextrinsecum vocitatur, revera non connotatum, sed constitutivum esset, quô certè quid repugnantius?

207. Probatur 3*tiò* Assertio. Admissis principiis Connotatisticis Rndi P. Domaradzki in hac de connotatis & constitutivis materia, adæquata essentia physica v. g. hominis, est Antonomasticum connotatum hominis, ut declaratum num. 50. & 51. Ergo implicat connotatum Antonomasticum, quia ex declaratis eodem num. 50. implicat, ut essentia adæquata hominis, realiter adæquatè identificata homini, sit Antonomasticum connotatum hominis, cùm omne connotatum rei debeat realiter distingui à re connotante. Hoc argumento impugnantur illi ex Connotatistis, qui negant constitutivum adæquatum.

208. Probatur 4*tò*. Assertio. Admissis principiis Connotatisticis unio essentialis inter corpus ac animam hominis, & est Antonomasticum connotatum hominis, & non est Antonomasticum con-

notatum

notatum hominis. Ergo implicat Antonomaſticum connotatum. 1ma pars aſſumpti eſt ſententia omnium Anticonſtitutiviſtarum, uno excepto R. P. Tuchołka. 2da pars aſſumpti probatur. Unio eſſentialis eſt conſtitutivum hominis, etiam in Connotatiſticis, ſi quid valent, principiis. Ergo non eſt Antonomaſticum connotatum hominis. Probatur Antecedens his rationibus. 1*mò*. Iuxta R. P. Domaradzki in Phyſica num. 473. & paſſim juxta alios Connotatiſtas, imò juxta omnes non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate & fundamento. Sed ſi unio eſſentialis non eſſet conſtitutivum hominis, tunc multiplicarentur entia ſine neceſſitate & fundamento, quia in prædicta hypotheſi plurificarentur entia realiter adæquatè inter ſe diſtincta ſine ulla neceſſitate & fundamento diſtinctionis adæquatæ inter eadem entia, darentur enim tot uniones realiter adæquatè diſtinctæ ab unoquoque homine, quot darentur homines. Ergo unio eſſentialis eſt conſtitutivum hominis. Recolantur dicta num. 129. 2*dò*. Quod eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe hominis, ſecundùm ſe totum, ſe toto, ſecundum totam entitatem ſuam realiter identificatum homini, illud per Connotatiſtas eſt conſtitutivum hominis, quia univerſaliter juxta Connotatiſtas citatos num. 7. 10 12. & 13. conſtitutivum rei definitivè eſt requiſitum eſſentiale rei, vel ſecundùm ſe totum, vel ſe toto, vel ſecundùm totam entitatem ſuam realiter identificatum rei. Sed unio eſſentialis eſt requiſitum eſſentiale ad eſſe hominis, ſecundùm ſe totum, ſe toto, ſecundùm totam entitatem ſuam realiter identificatum homini. Ergo &c. 1ma pars Minoris certa eſt etiam Anticonſtitutiviſtis. 2da probatur. Tum quia ſicut v. g. anima rationalis, ita per omnem paritatem etiam unio eſſentialis, ſecundùm ſe totam, ſe tota, ſecundùm totam entitatem ſuam, realiter identificatur homini. Tum quia nullum eſt funda-

 mentum

mentum positivum unionem essentialem (inter animā & corpus hominis, ut suppono semper) realiter adæquatè distinguendi ab homine. Tum quia aliàs unio essentialis esset quid purè extrinsecum homini, ac proinde non esset de ratione, seu essentiâ hominis. Porro id evidenter repugnat auctoritati D. Thomæ, juxta quem p. 3. q. 50. art. 4. *Magister sententiarum posuit, quòd Christus in triduo mortis fuit homo, quia credidit, quòd unio animæ carnis non est de ratione hominis, quod falsum est.* Firmatur. Unio essentialis secundùm omnes est requisitum essentiale ad esse hominis; illudque totaliter identificatum homini, ut patet reflectenti ad explicationem hujus termini: *Totaliter*, datam num. 18. & ad dicta immediatè superiùs. Ergo unio essentialis est Antonomasticum constitutivum hominis, quia ex conclusis num. 15. constitutivum ut sic Antonomasticè tale est requisitum essentiale ad esse rei totaliter identificatum eidem rei. 3*tiò*. Quod importatur in recto Philosophico hominis rectè explicati, illud per Connotatistas est constitutivum hominis, quia universaliter juxta Connotatistas citatos num. 63. indicium constitutivi convertibile cum constitutivo est esse requisitum essentiale denominationis aut rei importatum in recto Philosophico denominationis aut rei rectè explicatæ. Sed conformiter ad principia Connotatistica unio essentialis importatur in recto Philosophico hominis rectè explicati, quia ex una parte sicut per Connotatistas recta est hæc explicatio hominis: *Homo est anima rationalis & corpus unita sibi*, ita per omnem paritatem in principiis eorundem recta est etiam hæc explicatio hominis: *Homo est anima rationalis, corpus, & unio unita sibi*; ex altera parte sicut per Connotatistas v. g. anima rationalis in explicatione priore importatur in recto Philosophico hominis, ita quoque per omnem paritatem in principiis eorundem unio

essentialis

essentialis in explicatione posteriore importatur in recto Philosophico hominis. *4to.* Quod essentialiter constituit aliquod constitutivū hominis, illud est constitutivū hominis juxta illud cōmune, & in creatis verissimū, de constitutivo essentiali [non integrali] procedens axioma: *Constitutivum constitutivi est constitutivum constituti.* Sed essentialis unio inter corpus & animam hominis, essentialiter constituit aliquod constitutivum hominis, quia prædicta unio constituit partem actualē quà talem hominis, nēpe constituit tam hoc concretum: *Corpus hominis unitum animæ rationali*, quàm hoc concretum: *Anima rationalis unita corpori hominis*, nam universaliter omne concretum juxta Connotatistas essentialiter constituitur suâ formâ. Porro utrumque dictum concretum est pars actualis quà talis, hominis, nihilque aliud est pars hominis rata actualis quà talis, nisi vel 1mum ex memoratis concretum, vel 2dum, quid enim est aliud? Certè pars hominis rata actualis ut talis, neque est anima rationalis Antonomasticè connotans unionem, neque est corpus hominis Antonomasticè connotans eandem unionem cùm nec anima rationalis, essentialiter exigat aut requirat unionem cum corpore, nec corpus hominis essentialiter exigat aut requirat unionem cum anima rationali. Ergo prædicta unio est constitutivum hominis. *5to.* Unio physica corporis humani cum anima rationali constituit compositum humanum. Ergo constituit hominem. Ptobatur Antecedens. Compositio actulis physica materiæ cum forma vivente hominis, constituit compositum humanum, quia sicut etiam per Connotatistas v. g. albedo unita substantiæ lactis constituit hoc concretum: *Lac album*, ita compositio actualis physica materiæ cum forma vivente hominis, constituit concretum istud: *Compositum humanum.* Sed unio physica corporis humani cum anima rationali, est compositio actualis physica ma-

teriæ cum forma vivente hominis, ut certum est omnibus. Ergo &c. *6tò*. Quo per possibile vel impossibile quomodocunque ablato, ac omnibus aliis realiter adæquatè, sive certò, sive probabiliter distinctis, per possibile vel impossibile manentibus, tollitur res, illud est constitutivum rei, ut deductum est num. 112. nec universalis ista propositio potest ullâ infrigi instantiâ extra controversiam. Ergo & quo per possibile vel impossibile quomodocunque ablato, ac omnibus aliis ab illo realiter adæquatè, sive certò, sive probabiliter distinctis, per possibile vel impossibile manentibus, tollitur homo, illud est constitutivum hominis. Sed per possibile vel impossibile ablata unione essentiali inter animam rationalem & corpus hominis, ac omnibus aliis ab illa realiter adæquatè, sive certò, sive probabiliter distinctis, per possibile vel impossibile manentibus, tollitur homo, ut etiam in principiis Connotatisticis est certissimum. Ergo &c. *7mò*. Si unio non esset constitutivum hominis, tunc homo in morte sua periret, non pereunte ullo suo constitutivo inadæquato physico. Hoc implicat. Ergo unio est constitutivum hominis. Minor est certa. Tum quia sicut implicat permanere hominem in rerum natura non permanente ullo suo constitutivo inadæquato physico, ita implicat perire hominem non pereunte ullo suo constitutivo inadæquato physico. Tum quia aliàs homo in sua morte periret manentibus omnibus suis constitutivis inadæquatis physicis, consequenter periret homo manente sua essentia adæquata physica, ac proinde inter adæquatam essentiam physicam hominis & inter hominem daretur separabilitas entitativa, quo quid absurdius? Major probatur, quia non est ostendibile à Connotatistis ullum inadæquatum physicum constitutivum hominis, quod pereat in morte hominis. Certè in morte hominis, nec anima rationalis pe-

rit,

rit, nec materia 1ma, ut est extra dubium. Quod ergo tandem juxta Connotatistas inadæquatum physicum constitutivum hominis perit in morte hominis? Perit equidem tunc unio animæ rationalis cum corpore, cæterùm hæc juxta Connotatistas non est constitutivum hominis. Perit quoque tunc etiam homo; cæterùm homo non est inadæquatum physicum constitutivum hominis, seu suiipsius. Perit denique protunc utrumque hoc concretum: *Anima rationalis unita corpori hominis. Corpus hominis unitum animæ rationali*; cæterùm ex his etiam concretis neutrum juxta Connotatistas est inadæquatum physicum constitutivum hominis, ut tali evinco argumento. Quod constituitur aliquo realiter adæquatè distincto ab homine, illud non est inadæquatum physicum constitutivum hominis, utpote eo ipso nec secundùm se totum, nec se toto, nec secundùm totam entitatem suam, nec totaliter identificatum homini; & aliàs etiam binarius ex anima rationali ac DEO, esset inadæquatum physicum constitutivum hominis puri quà talis &c. Sed utrumque ex memoratis concretum constituitur aliquo juxta Connotatistas realiter adæquatè distincto ab homine, scilicet constituitur unione. Ergo neutrum ex memoratis concretum juxta Connotatistas est inadæquatum physicum constitutivum hominis.

209. Ad confirmationem hujus rationis 7mæ adverto sequentia. 1*mò*. Familiarissima Connotatistis est distinctio similium argumentorum per hos terminos: *Ratione sui. Ratione alterius.* Unde dici potest, quòd homo in morte sua pereat, nullo suo constitutivo inadæquato physico pereunte *ratione sui*, seu ratione suæ entitatis ablatæ; perit tamen omni suo constitutivo inadæquato physico pereunte *ratione alterius*, seu ratione ablati entis purè essentialiter requisiti. *Contra est.* Restauro facilè argumentum. Si unio non esset constitutivum hominis,

minis, tunc homo in morte sua periret, nullo suo constitutivo inadæquato physico pereunte, tam ratione sui, quàm ratione alterius. Hoc implicat etiam per Oppositos. Ergo &c. 1ma pars sequelæ est certa, ac conceditur etiam à Connotatistis. 2da pars probatur, quia non est ostendibile ab Anticonstitutivistis ullum inadæquatum physicum constitutivum hominis, quod in morte hominis pereat etiam ratione alterius; quod enim in morte hominis perit requisitum essentiale purum, ratione cujus ablati pereat consequenter seu anima rationalis, seu materia 1ma? Certè in morte hominis non perit DEUS; non etiam perit actio conservativa seu animæ rationalis seu materiæ 1mæ. Quod igitur tandem? Perit equidem unio essentialis inter animam rationalem & corpus hominis; sed ista non requiritur essentialiter ad esse seu animæ rationalis, seu materiæ 1mæ, aut corporis, quia & anima rationalis potest esse sine unione cum corpore, & corpus hominis potest esse sine unione cum anima rationali, ut est certissimum. 2dò. Dici potest, quòd anima rationalis & materia 1ma, licèt præcisè secundùm suam entitatem sumptæ non pereant in morte hominis, pereunt tamen prout connotantes unionem. Addit specialiter R. P. Domaradzki, *quòd materia & anima Petri præcisè secundùm suam entitatem sumpta non sint constitutiva simpliciter talia: Secus materia & forma connotantes unionem & alia pura requisita essentialia.* Ita ille in terminis in Compendio Connotatorum num. 13. *Contra est.* Tum quia nec anima rationalis essentialiter requirit unionem cum corpore, utpote potens etiam naturaliter esse sine unione cum corpore, neq; materia 1ma essentialiter requirit unionem cum anima rationali, utpote pariter potens esse sine unione cum anima rationali. Ergo non datur seu anima rationalis Antonomasticè connotans unionem cum corpore, seu

materia Antonomasticè connotans unionem cum anima rationali. Ergo consequenter anima rationalis & materia prout connotantes unionem, non pereunt in morte hominis. Tum quia ex additamento R. P. Domaradzki sequitur materiam & formam Petri, præcisè secundùm suam entitatem sumptas, esse Antonomastica connotata Petri, ut evinco tali argumento ad hominem. Requisitum essentiale aliûs rei, non constitutivum ejusdem rei, quo solo ablato perit eadem res, est Antonomasticum connotatum rei, ut docet R. P. Domaradzki relatus à me num. 51. Ergo & requisitum essentiale Petri, non constitutivum ejusdem Petri, quo solo ablato perit idem Petrus, est Antonomasticum connotatum Petri. Sed materia & forma Petri, præcisè secundùm suam entitatem sumptæ, sunt requisita essentialia Petri, non constitutiva ejusdem Petri, quibus solis ablatis perit idem Petrus. Sunt requisita essentialia Petri; quia Petrus ex se ab intrinseco non potest esse ullatenus sine entitate materiæ & formæ Petri. Non sunt quoq; constitutiva Petri; ut docet memoratus Recentior. Deniq; ablatis solis illis, etiam præcisè secundùm suam entitatem sumptis, perit Petrus; quia sicut ablata sola unione, etiam præcisè secundùm suam entitatem sumpta, perit Petrus, ita ablatâ solâ seu materiâ seu formâ Petri, etiam præcisè secundùm suam entitatem sumptâ, perit Petrus. Ergo materia & forma Petri, præcisè secundùm suam entitatem sumptæ, sunt Antonomastica connotata Petri. Ergo ulteriùs materia & forma Petri nullo modo sunt constitutiva Petri, quia materia & forma Petri nec præcisè secundùm suam entitatem sumptæ sunt constitutiva Petri, ut asseritur subtilissimè, nec connotantes unionem sunt constitutiva Petri, siquidem materia & forma Petri ex declaratis hìc suprà non connotant unionem. Ergo deniq; nullum datur inadæquatum physicum constitutivum hominis.

210. Probatur 5tò Assertio. Admissis principiis Connotatisticis in hac de Constitutivis & Connotatis Antonomasticis materia, totum physicum & est Antonomasticum connotatum suæ partis actualis quà talis, & non est Antonomasticum connotatum suæ partis actualis quà talis. Ergo implicat connotatum Antonomasticum. 1ma pars assumpti supponitur, quia omnes Connotatistæ Noviores docent totum physicum esse Antonomasticum connotatum suæ partis actualis quà talis, ut patet ex relatis num. 121. 2da pars assumpti probatur. 1mò. Admissis principiis Connotatisticis in hac de Constitutivis & Connotatis Antonomasticis materia totum physicum est constitutivum suæ partis actualis quà talis, ut declaratum num. 206. Ergo non est Antonomasticum connotatum ejusdem. 2dò. Si totum physicum esset Antonomasticum connotatum suæ partis actualis quà talis, tunc totum physicum esset Antonomasticum connotatum vel adæquatè, vel inadæquatè distinctum à sua parte actuali quà tali, quia juxta Nostros Connotatistas Noviores ex relatis num. 121. Antonomasticum connotatum aliud est adæquatè, aliud inadæquatè distinctum à re connotante, ac divisio hæc juxta illos sine dubio est adæquata. Sed totum physicum nec est connotatum Antonomasticum adæquatè distinctum à sua parte actuali quà tali, nec est connotatum Antonomasticum inadæquatè distinctum à sua parte actuali quà tali. Ergo &c. 1ma pars Minoris patet, quia totum physicum non distinguitur adæquatè ab ulla sua parte actuali quà tali, ut certum est omnibus. 2da pars Minoris probatur, quia connotatum Antonomasticum inadæquatè distinctum à re connotante implicat, prout sic declaro ulteriùs. Connotatum Antonomasticum inadæquatè distinctum à re connotante & est species connotati ut sic generalissimè accepti, & non est species connotati ut sic

generalissimè

generalissimè accepti. Ergo implicat. 1ma pars Antecedentis supponitur, 2da probatur. Quod est species connotati ut sic generalissimè accepti, illi competit ratio connotati ut sic generalissimè accepti. Sed connotato Antonomastico inadæquatè distincto à re connotate, non competit ratio connotati ut sic generalissimè accepti. Ergo &c. Probatur *Minor*. Cui competit ratio connotati ut sic generalissimè accepti, illud est realiter adæquatè distinctum à re connotante, quia connotatum universalissimè sumptum quoad rem & definitivè est ens, ad quod aliud ens ab ipso realiter adæquatè distinctum, in aliquo suo conceptu dicit aliquam habitudinem, seu relationem, ut declaratum est num. 114. ubi hujus in definitione additi: *Realiter adæquatè distinctum*, data est ratio tum ab intrinseco, tum etiam ab Archiconnotatistica, eaque non una, auctoritate R. P. Gzowski. Sed connotatum Antonomasticum inadæquatè distinctum à re connotante, non est realiter adæquatè distinctum à re connotante, ut patet. Ergo &c. Recolantur dicta num. 114. & 115. 3*tio*. Connotatum ut sic est purum requisitum ad esse rei, ut certum est etiam Connotatistis citatis num. 117. Sequiturque id, etiam ex definitione illorum, juxta quos connotatum est requisitum ad esse rei non constitutivum rei, consequenter est requisitum purum &c. Sed Antonomasticum connotatum inadæquatè distinctum à re connotante non est purum requisitum ad esse rei, quia totum (quod solum juxta Connotatistas est Antonomasticum connotatum inadæquatè distinctum à re connotante, scilicet à parte actuali quà tali) non est purum requisitum ad esse partis actualis, quà talis, quomodo enim totum includens totam essentiam partis est purum requisitum partis? Ergo Antonomasticum connotatum inadæquatè distinctum à re connotante, non est connotatum. 4*to*. Connotatum

ut sic venit puré in obliquo, prout docetur à Connotatists citatis num. 123. Sed connotatum Antonomasticum inadæquatê distinctum à re connotante, non venit purè in obliquo, quia totum non venit, purè in obliquo partis actualis quà talis, pars enim actualis quà talis v. g. A. inclusa in toto venit in recto partis A. actualis quà talis, ac totum physicum saltem cum aliquo addito restringente aut modificante potest in recto affirmari de parte actuali quà tali in hunc modum: *Pars actualis quà talis, inadæquatè est suum totum physicum*, ut declaratum est num. 70. Ergo connotatum Antonomasticum inadæquatê distinctum à re connotante, non est connotatum. 5*to*. More Connotatistico pono talem universalem. Omne cOnnotatum realiter adæquatè distinguitur à re connotante, ut patet inductione connotatorum extra controversiam talium; nec prædicta universalis propositio potest à Connotatistis infringi ullâ extra controversiam instantiâ, quâ enim? Ergo totum physicum non est simpliciter connotatum suæ partis actualis quà talis, ac proinde nec est Antonomasticum connotatum ejusdem. Adverto hic, quòd DEUS quà Creator sit connotatum totius hypostatici sumpti præcisê secundùm sua constitutiva purê creata, & à toto hypostatico sic accepto distinguitur realiter adæquatè; idem tamen DEUS Creator non est connotatum totius hypostatici sumpti sive præcisè secundùm hoc constitutivum, quod est Persona Verbi, sive secundùm omnia constitutiva tam creata, quàm increata &c.

211. Probatur 6*tò* Assertio, argumento ex Dissertatione Philosophica petito, cujus summa est ista. In denominatione objectiva pura, [ut vocant passim Oppositi] expressa per hanc propositionem veram: *Petrus est habens unitam sibi albedinem*, albedo & est connotatum Antonomasticè tale, & non

non est connotatum Antonomasticè tale. Ergo implicat connotatum Antonomasticum. 1ma pars assumpti est doctrina Connotatistarum Noviorum; 2da probatur, quia in prædicta denominatione non est ostendibile quidquam, quod Antonomasticè connotet albedinem, quid enim? Certè Antonomasticè illam non connotat hæc denominatio concretè sumpta: *Petrus habens unitū sibi albedinē*; quia prædicta denominatio concretè sumpta, etiam juxta Oppositos constituitur albedine. Non etiam Antonomasticè illam connotat Petrus; quia Petrus non requirit essentialiter albedinem sibi unitam, utpote potens esse sine eadem. Quid ergo tandē in prædicta denominatione Antonomasticè connotat albedinem?

212. Respondent 1*mo*, quòd Petrus purè denominativè sumptus, seu Petrus habens unitam sibi albedinem, Antonomasticè connotet albedinem. Hæc responsio colligitur ex Manuscriptis Rndi. P. Gzowski, quia ille in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 13 concedit, quòd anima secundùm se sumpta, seu non habens unionem, non requirat essentialiter unionem, negat verò, quòd anima habens unionem non requirat essentialiter unionem. 2*dò*. Petrus (inquiunt) secundùm se sumptus non requirit albedinem, idem tamen Petrus connotans albedinem requirit albedinem. 3*tiò*. Petrus [inquiunt] quoad rectum sumptus potest esse sine albedine, sumptus tamen quoad obliquum non potest esse sine albedine. Contra est.

213. 1*ma responsio* non subsistit ex his rationibus. 1*mò*. Si Petrus purè denominativè sumptus, seu (ut inquiunt) Petrus habens unitam sibi albedinem, Antonomasticè connotaret albedinem, tunc hujus propositionis: *Petrus est habens unitam sibi albedinem*, sensus esset iste, *Petrus habens unitam sibi albedinem est Petrus habens unitam sibi albedinem*. Hoc dici nequit. Ergo Petrus

etiam purè denominativè sumptus, Antonomasticè non connotat albedinem. Minor patet, quia prior ex memoratis propositio est in materia contingenti, posterior verò est in materia necessaria, nam universaliter omnis propositio identica vera (qualis est posterior illa propositio) est in materia necessaria. Sequela Majoris probatur, quia in sententia Oppositorum hujus propositionis veræ: *Petrus est habens unitam sibi albedinem*, non potest esse alius sensus, nisi iste: *Petrus habens unitam sibi albedinem, est Petrus habens unitam sibi albedinem*; quis enim potest esse alius ipsius sensus? Certè in sententia Oppositorum non potest esse hic illius sensus: *Petrus secundùm se sumptus est habens unitam sibi albedinem*, quia in sententia Oppositorum Petrus secundùm se sumptus non est habens unitam sibi albedinem, ut tali deduco argumento ad hominem. Iuxta Oppositos omne habens unitam sibi albedinem est Antonomasticè connotans albedinem. Sed Petrus secundùm se sumptus non est Antonomasticè connotans albedinem, ut certum est, conceditque responsio 2da. Ergo Petrus secundùm se sumptus non est habens unitam sibi albedinem. 2dò. Quod potest esse sine albedine, illud Antonomasticè non connotat albedinem. Sed Petrus, etiam habens unitam sibi albedinem, potest esse sine albedine. Ergo Petrus, etiam habens unitam sibi albedinem, ac proinde purè denominativè sumptus, Antonomasticè non connotat albedinem. Probatur Minor agugumento petito ex Dissertationis Philosophicæ Disputatione 3tia numero 15. Omnis substantia corporea, saltem defacto existens, potest esse sine albedine. Sed Petrus habens unitam sibi albedinem, est substantia corporea, defacto existens. Ergo Petrus habens unitam sibi albedinem potest esse sine albedine. Hoc argumentum est simile huic Oppositorum argumento, quo illi pre-

bare

bare solent, quòd Petrus habens dicens, connotans albedinem sit substantia, ac proinde non constituitur ullo accidente, consequenter non constituitur etiam albedine. Omnis [inquiunt) homo est substantia. Sed Petrus habens, dicens, connotans albedinem, est homo. Ergo Petrus habens, dicens, connotans albedinem est substantia. 3*tiò*. Petrus, qui habet unitam sibi albedinem, potest esse sine albedine, sicut Petrus, qui v. g. deambulat, potest non deambulare &c. Sed Petrus habens unitam sibi albedinem, est Petrus, qui habet unitam sibi albedinem. Ergo Petrus habens unitam sibi albedinem, potest esse sine albedine; ac proinde Antonomasticè non connotat albedinem. Firmatur. DEUS actu producens vel conservans creaturam, seu DEUS qui actu producit aut conservat creaturam, potest esse sine existentia creaturæ. Item Angelus actu còéxistens v. g. lapidi, seu qui còéxistit lapidi, potest esse sine existentia lapidis. Ergo etiam Petrus habens unitam sibi albedinem, potest esse sine albedine. Prætereà Petrus, cui contingenter unitur albedo, Antonomasticè non connotat albedinem; quia implicat, ut entitas aliqua id Antonomasticè connotet, id essentialiter requirat, quod est ipsi accidens, quod illi contingenter unitur, quod enim est accidens alicui, illud potest adesse vel abesse sine corruptione subjecti, & quod contingenter unitur alicui, illud ita unitur alicui, ut possit etiam non uniri &c. Sed Petrus habens unitam sibi albedinem, est Petrus, cui contingenter unitur albedo, ut est extra dubium. Ergo &c.

214. 2*da responsio* non subsistit ex his rationibus. 1*mò*. Prædicta responsio est petitio principii Ergo non subsistit. Probatur Antecedens. Quæ responsio idem ponit, vel supponit, quod est impugnatum, illa responsio est petitio principii, sicut quæ argumentatio idem ponit vel supponit, quod est ne-

gatum, illa argumentatio est petitio principii. Sed prædicta responsio 2da idem ponit vel supponit, quod est impugnatum, quia dicta responsio ad impugnationem hujus, quòd Petrus requirat, ac proinde connotet albedinem, dicit, quòd Petrus connotans seu requirens albedinem requirat albedinem. Ergo &c. 2dò. Falsa est hæc responsionis propositio: *Petrus connotans albedinem, requirit albedinem* Ergo responsio non subsistit. Probatur Antecedens. Quæ propositio ex parte subjecti falso laborat supposito, illa propositio est falsa, ut certum est omnibus, & patet in his v. g. cæterisque similibus: *DEUS essentialiter connotans existentiam creaturarum, connectitur cum existentia creaturarum. Homo essentialiter connexus cum lapide non potest esse sine lapide &c.* Sed hæc propositio: *Petrus connotans albedinem requirit albedinem*, ex parte subjecti falso laborat supposito, supponit enim à Petro Antonomasticè connotari albedinem, quod falsum est, quia Petrus non requirit essentialirer albedinem, adeoque nec eandem Antonomasticè connotat. Ergo &c. 3tiò. Ipsa præcisè entitas Petri non requirit albedinem, ut certum est, ac conceditur etiam ab Oppositis. Sed Petrus connotans albedinem est ipsa præcisè entitas Petri, quid enim aliud præter ipsam entitatem Petri est Petrus connotans albedinem? Certè Petrus connotans albedinem nec est albedo, nec est unio cum albedine, &c. Ergo Petrus connotans albedinem non requirit albedinem. Firmatur. Si Petrus connotans albedinem, essentialiter requireret albedinem, tunc aliquod prædicatum realiter adæquatè identificatum Petro essentialiter requireret albedinem, quia ly: *Petrus connotans albedinem*, juxta Oppositos realiter adæquatè identificatur Petro. Sed nullum prædicatum realiter adæquatè identificatum Petro essentialiter requirit albedinem, aliàs eo ipso entitas Petri essentialiter requireret albedinem, quod

etiam consentientibus Oppositis falsum est. Ergo Petrus connotans albedinem non requirit essentialiter albedinem.

215. *3tia denique responsio* non subsistit ex his rationibus. *1mò.* Petrus quoad rectum sumptus potest esse sine albedine, ut conceditur. Ergo albedo nullo modo est connotatum essentialiter requisitum ad esse Petri, quia universaliter omne connotatum essentialiter requisitum ad esse rei connotantis, est ens ejusmodi, sine quo res quoad suum rectum accepta, esse non potest, ut patet inductione DEI, actionis productivæ, actionis conservativæ &c. ac ex conceptu definitivo requisiti essentialis, quatenus hoc definitivè est ens ejusmodi, sine quo res ex se ab intrinseco, ac proinde quoad rectum sumpta, non potest esse ullo modo &c. *2dò.* Iuxta hanc responsionem Petrus solùm quoad obliquum sumptus non potest esse sine albedine. Ergo solum obliquum Petri non potest esse sine albedine. Ergo albedo est constitutivum vel connotatum solum obliqui Petri, non verò ipsius Petri. *3tiò.* Dum ab Oppositis dicitur, quòd Petrus quoad obliquum sumptus non possit esse sine albedine, sensus propositionis est vel iste: *Essentialis unio Petri* (quæ & in opposita, & in mea sententia est obliquum Petri) *non potest esse sine albedine*; vel iste: *Unio albedinis cum Petro non potest esse sine albedine*; vel iste: *Albedo non potest esse sine albedine*; vel denique iste: *Complexum ex entitate Petri & albedine, non potest esse sine albedine*; quis enim alius dictæ propositionis est sensus? *Si 1mum*; falsa est propositio, quia sicut v. g. anima Petri, ita & essentialis unio Petri potest esse sine albedine. *Si 2dum, & 3tium*; vera est propositio, inde tamen non sequitur, quòd Petrus non possit esse sine albedine. *Si 4tum*; vera iterum est propositio, sed nec inde sequitur, quòd Petrus non possit esse sine albedine; ac prædictum complexum

requirit equidem albedinem, cæterum albedo etiam juxta Oppositos est constitutivum, non connotatum memorati complexi.

216. Probatur 7mò Assertio. Ablata sola albedine unita v. g. Petro, & perit aliquid realiter adæquatè distinctum ab albedine, & non perit quidquam realiter adæquatè distinctum ab albedine. Ergo albedo & est Antonomasticum connotatum alicujus rei, & non est Antonomasticum ullius rei connotatum. Ergo implicat connotatum Antonomasticum purè extrinsecum. 1ma pars assumpti supponitur, quia ab Oppositis asseritur, quòd ablata sola albedine unita Petro pereat Petrus habens unitam sibi albedinem. 2da pars assumpti probatur, quia non est ostendibile quidquam realiter adæquatè distinctum ab albedine, quod revera pereat ablata sola albedine unita Petro, quid enim? Certè ablata sola dicta albedine non perit ipse secundùm se Petrus, ut concedunt etiam Oppositi, ac patet tum per experientiam in homine v. g. icterico, tum ex communi Philosophorum sensu, juxta quem accidens saltem ratum potest adesse vel abesse sine subjecti corruptione. Ergo &c.

217. Respondent 1mò, quòd ablata sola albedine unita Petro, pereat Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem, purè denominativè sumptus. Contra est. 1mò. Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem, potest esse sine albedine, ut probatum num. 213. potissimum ursione 2da & 3tia. Ergo ablata sola albedine unita Petro, non perit Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem. Firmatur. Ipsa præcisè entitas Petri non perit ablata sola albedine, ut conceditur etiam ab Opdositis. Sed Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem, est ipsa præcisè entitas Petri, ut declaratum num. 214 in ursione 3tia. Ergo Petrus habens, dicens, connotans

unitam sibi albedinem, non perit ablata sola albedine. 2*dò*. Ablata sola albedine v. g. in instanti A. non perit ipse secundùm se Petrus ut conceditur; perit tamen Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem, ut dicitur in responsione. Ergo ablata sola albedine, in eodem instanti A. ipse secundùm se Petrus est; Petrus autem habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem non est. Ergo idem realiter adæquatè simul est & non est, quia Petrus secundùm se præcisè sumptus, & Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem, juxta Oppositos sunt idem realiter adæquatè. 3*tiò*. Quo ablato manet tota essentia Petri habentis, dicentis, connotantis unitam sibi albedinem, illo ablato non perit Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem, aliàs idem esset & non esset. Sed ablata sola albedine manet tota essentia Petri habentis, dicentis, connotantis unitam sibi albedinem. Ergo &c. Probatur Minor. Ablata sola albedine manet tota essentia hujus juxta Oppositos concreti metaphysici: *Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem*. Ergo ablata sola albedine manet tota essentia Petri habentis, dicentis, connotantis unitã sibi albedinem. Consequentia patet, quia juxta Oppositos Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem est concretum metaphysicum. Est concretum; quia sicut v. g *Homo*, est concretum coalescens ex entitate hominis tanquam subjecto, & ex humanitate tanquam forma, ita per omnem paritatem: *Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem*, est concretum coalescens ex entitate Petri tanquam subjecto, & ex habentia, dicentia, connotantia, tanquam forma. Est quoque in sententia Oppositorum concretum metaphysicum; quia certè non est concretum logicum aut morale, ut est extra dubium. Non est etiam juxta ipsos concretum physicum; aliàs dictum concretum consti-

tueretur suâ formâ physicâ, quae est albedo, vel saltem unio albedinis cum Petro &c. Antecedens probatur. Quando manet & subjectum hujus juxta Oppositos concreti metaphysici: *Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem*, & forma, & applicatio formae ad subjectum, tunc manet tota essentia praedicti concreti metaphysici, sicut quando manet & subjectum hujus concreti physici: *Album*, & forma, & applicatio formae ad subjectum, tunc manet tota essentia praedicti concreti physici. Sed ablata sola albedine manet & subjectum hujus juxta Oppositos concreti metaphysici: *Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem*, & forma, & applicatio formae ad subjectum. Manet subjectum; quia subjectum dicti concreti est entitas Petri, quae ablata sola albedine non perit, ut evidens est, ac concedunt etiam Oppositi. Manet forma; quia cùm ex praedictis ablata sola albedine maneat subjectum dicti concreti metaphysici, debet quoque manere etiam forma ejusdem concreti, utpote realiter adaequatè identificata subjecto, aliàs idem esset & non esset. Manet deniq; applicatio formae ad subjectum; quia haec in concretis metaphysicis est indistincta à subjecto & forma. Ergo &c.

218. Dicunt ad immediatum argumentum. Quando manet & subjectum dicti concreti, & forma & applicatio formae ad subjectum, & praeterea omne essentiale requisitum ad esse ejusdem concreti, tunc manet tota essentia illius, concedunt. Quando manet & subjectum dicti concreti, & forma, & applicatio formae ad subjectum, non manet tamen aliquod essentiale requisitum ad esse ejusdem concreti, tunc manet tota essentia illius, negant. Similiter distincta Minore dicunt, quòd ablata sola albedine non manet aliquod essentiale requisitum ad esse dicti concreti, quia ablata sola albedi-

ne non manet albedo, quæ essentialiter requiritur ad esse Petri habentis, dicentis, connotantis unitam sibi albedinem. *Contra est.* Ablata sola albedine manet & subjectum hujus secundùm Oppositos concreti metaphysici: *Petrus habens, dicens, connotans unitam sibi albedinem*, & forma, & applicatio formæ ad subjectum, ut conceditur, & præterea omne essentiale requisitum ad esse ejusdem concreti, quod enim non? Certè licèt ablata sola albedine non maneat albedo, hæc tamen non requiritur essentialiter ad esse hujus secundùm Oppositos concreti metaphysici: *Petrus habens, dicens, connotans albedinem*, ut probo. Quod requiritur essentialiter ad esse dicti concreti, illo ablato perit dictum concretum vel quoad omnes suas partes, vel saltem quoad aliquam suam partem, quia universaliter quod requiritur essentialiter ad esse cujuscunq; denominationis, illo ablato perit vel omnis pars vel saltem aliqua pars ejusdem denominationis, ut patet inductione. Sed ablata albedine dictum concretum neq; perit quoad omnes suas partes, aliàs ablata albedine periret etiam entitas Petri; neq; perit quoad aliquam suam partem, quia ablata albedine nec perit ulla pars metaphysica dicti concreti, ut constat ex declaratis numero superiore ad finem, nec perit ulla pars physica ejusdem, ut patet reflectenti ad singulas illius partes physicas, maximè in sententia Oppositorum. Ergo &c.

219. Respondent 2*dò* ad argumentum numeri 216. quòd ablata sola albedine pereat denominatio, quatenus ablata etiam sola albedine Petrus jam non denominatur habens, dicens, connotans albedinem. Contra est. 1*mò*. Redeunt omnia argumenta opposita num. 217. Tum quia ipsa præcisè entitas Petri non perit ablata sola albedine, ut fatentur etiam Oppositi. Sed denominatio Petri habentis, dicentis, connotantis albedinem, est ipsa præcisè

entitas

entitas Petri, ut facilè declarari potest proportionatè ad dicta num. 214. in ursione 3tia. Ergo denominatio Petri habentis, dicentis, connotantis albedinem non perit ablata sola albedine. Tum quia ablata sola albedine v. g. in instanti A. non perit ipse secundùm se Petrus, ut certum est; perit tamen denominatio Petri habentis, dicentis, connotantis albedinem, ut respondetur. Ergo ablata sola albedine, in eodem instanti A. ipse secundùm se Petrus est; denominatio autem suprà dicta non est. Ergo idem realiter adæquatè simul est & non est; quia Petrus secundùm se sumptus, & denominatio Petri habentis, dicentis, connotantis albedinem, juxta Oppositos sunt idem realiter adæquatè. Tum quia quo ablato manet tota essentia hujus denominationis secundùm Oppositos metaphysicæ: *Petrus habens, dicens, connotans albedinem*, illo ablato non perit eadem denominatio, aliàs idem esset & non esset. Sed ablata sola albedine manet tota essentia hujus denominationis juxta Oppositos metaphysicæ: *Petrus habens &c.* ut facilè probari potest, proportionatè ad dicta num. 217. in ursione 3tia, solùm mutato nomine concreti metaphysici in nomen denominationis metaphysicæ. Ergo &c. 2*dò.* suprà memorata denominatio Petri habentis, dicentis, connotantis albedinem, realiter adæquatè identificatur Petro secundùm se sumpto, ut volunt Oppositi. Vel igitur denominatio dicta ita realiter adæquatè identificatur Petro, ut possit accedere & recedere contingenter, manente Petro secundùm se sumpto; vel ita, ut nec accedere, nec recedere possit contingenter. Si 1*mum.* Ergo potest aliquid realiter adæquatè nunc identificari, nunc non identificari Petro, manente Petro; quô major chimæra cogitari non potest. Si 2*dum.* Ergo non est ratio, cur ablata sola albedine non possit denominari Petrus habens albedinem. 3*tiò.* Cùm dicitur ablata

sola

sola albedine perire hæc denominatio: *Petrus habens, dicens, connotans albedinem*, quid perit? Certè non perit ly: *Petrus*; quia hic manet absq; albedine. Ergo perit ly: *Habens, dicens, connotans albedinem*. Ergo perit prædicatum realiter adæquatè identificatum Petro, manente Petro; quô iterum major chimæra cogitari non potest.

220. Probatur 8vò Assertio. In hac v. g. denominatione: *Petrus infectus aurigine*, seu flavo laborans morbo, aurigo & est connotatum Antonomasticè tale, & non est connotatum Antonomasticè tale. Ergo implicat connonatum Antonomasticum. 1ma pars assumpti supponitur, quia sicut albedo juxta Oppositos est Antonomasticum connotatum hujus (ut ajunt) denominationis puræ: *Petrus informatus albedine*, ita per omnem paritatem rationis aurigo juxta eosdem debet esse Antonomasticum connotatum hujus denominationis: *Petrus infectus aurigine*. 2da pars assumpti probatur. Si in hac denominatione: *Petrus infectus aurigine*, aurigo esset connotatum Antonomasticè tale, tunc prædicta denominatio realiter adæquatè identificaretur entitati Petri, sicut juxta Oppositos hæc denominatio: *Petrus informatus albedine*, realiter adæquatè identificatur entitati Petri, nè (ut inquiunt) aliàs multiplicentur constitutiva sine necessitate. Sed prædicta denominatio realiter adæquatè non identificatur entitati Petri. Ergo &c. Probatur Minor. 1mò. Quod est entitativè separabile ab entitate Petri, illud realiter adæquatè non identificatur entitati Petri, quia juxta communem Philosophorum consensum entitativa separabilitas unius entis ab alio est infallibile signum distinctionis realis. Sed hæc denominatio: *Petrus infectus aurigine*, est entitativè separabilis ab entitate Petri, quia potest entitas Petri esse, nec tamem aurigine infecta esse. Ergo &c. 2dò. Quod entitati Petri supervenit in tem-

pore,

pore, illud realiter adæquatè non identificatur entitati Petri. Sed prædicta denominatio entitati Petri supervenit in tempore. Ergo &c. 3tiò. Si in hac denominatione: *Petrus infectus aurigine*, aurigo realiter adæquatè identificaretur entitati Petri, tunc denominationes istæ: *Petrus infectus aurigine. Petrus informatus albedine*, identificarentur sibi realiter adæquatè, quia realiter adæquatè identificarentur uni 3tio, scilicet Petro. Sed prædictæ denominationes non identificantur sibi realiter adæquatè, utpote à se entitativè separabiles. Ergo &c. Nec juvare potest Oppositos, si juxta familiarem sibi responsionem dixerint, quòd denominatio hæc: *Petrus infectus aurigine*, dicat quid plus, quàm entitas Petri, & aliquid aliud quàm hæc denominatio: *Petrus informatus albedine*; quia hæc denominatio: *Petrus, infectus aurigine*, etiam dicens plus, quàm entitas Petri, nec non dicens aliud, quàm hæc denominatio: *Petrus informatus albedine*, juxta Oppositos realiter adæquatè identificatur entitati Petri, ut præter insinuata hic superiùs, etiam sic declaro. Hæc denominatio: *Petrus infectus aurigine*, dicens quid plus, quàm entitas Petri, nec non dicens aliud, quàm hæc denominatio: *Petrus informatus albedine*, identificatur entitati Petri, ut tam Nobis certum est, quàm Oppositis. Ergo vel realiter inadæquatè, vel realiter adæquatè identificatur entitati Petri. Atqui juxta Oppositos non realiter inadæquatè identificatur entitati Petri, alias entitas Petri esset nonnisi pars physica denominationis prædictæ, consequenter eadem denominatio constitueretur etiam aliquo alio realiter distincto ab entitate Petri, scilicet aurigine vel unione auriginis cum entitate Petri, (quo enim alio?) ac proinde contra mentem Oppositorum aurigo vel illius unio cum Petro esset constitutivum, non connotatum denominationis prædictæ. Ergo denominatio illa juxta Oppo-

sitos

sitos realiter adæquatè identificatur entitati Petri.

221. Probatur 9nò Assertio communi argumento. Implicat perire v. g. hominem, ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine. Et sic de aliis essentialibus quarumcunq; rerum requisitis purè extrinsecis. Ergo implicat Antonomasticum connotatum rei purè extrinsecum. Probatur Antecedens. Implicat perire hominem, non pereunte ullo constitutivo hominis. Sed perire hominem ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine, est perire hominem non pereunte ullo constitutivo hominis. Ergo implicat perire hominem ablato solo requisito essentiali, realiter adæquatè distincto ab homine. Major patet. Tum quia implicat perire hominem, manente adæquata essentia hominis, aliàs hæc esset realiter entitativè separabilis, ac proinde & distincta realiter ab homine. Sed perire hominem, non pereunte ullo constitutivo hominis, est perire hominem manente adæquata essentia hominis, quia non perire ullum ex præexistentibus constitutivum hominis, est manere adæquatam essentiam hominis. Ergo &c. Tum quia aliàs & periret homo, ut supponitur, & non periret, quia manerent omnia ejus constitutiva. Minor probatur. Solum perire requisitum essentiale hominis realiter adæquatè distinctum ab homine, est non perire ullum constitutivum hominis. Ergo perire hominem ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine, est perire hominem non pereunte ullo constitutivo hominis. Probatur Antecedens. Si solum perire requisitum essentiale hominis, realiter adæquatè distinctum ab homine, esset perire aliquod constitutivum hominis, tunc & solum periret requisitum essentiale hominis realiter adæquatè distinctum ab homine, ut supponitur, & non solum periret prædictum requisitum, quia ul-

tra &c

tra & præter illud requisitum essentiale hominis realiter adæquatè distinctum ab homine, periret etiam aliquid aliud realiter adæquatè distinctum ab eodem, scilicet periret etiam aliquod constitutivum hominis, v. g. periret anima hominis, quæ procul dubio realiter adæquatè distinguitur ab eo requisito essentiali hominis, quod realiter adæquatè distinguitur ab homine. Hoc implicat. Ergo &c. Adverto, quòd contra propositum his terminis argumentum istud, non valeat familiaris Oppositorum retorsio de parte hominis, quia hæc probatio à 1mò argumento ad ultimum constanter procedit de requisito essentiali hominis realiter adæquatè distincto ab homine, quale certè requisitum non est pars hominis; ac ex conclusis num. 186. hæc propositio: *Sola pars totius perit*, est implicitè in excludendo limitata per istos rationabiliter subintellectos, & omnino subintelligendos terminos: *Ex omnibus realiter adæquatè distinctis.*

222. Respondet R. P. Gzowski ad argumentum simile, negando, quòd ablato solo connotato rei non pereat ullum constitutivum rei, quia ablato solo connotato rei sicut perit eadem res, ita quoq; perit omne constitutivum, omnis pars illius, non quidem ratione sui, sed ratione puri requisiti sui essentialis seu connotati pereuntis. Ita ille in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 12. istamq; responsionem in Logica num. 896. asserit idem facilem esse & expeditam, ac ut talem adhibent passim Sectatores sui Connotatistæ Noviores. Hinc 2dum probationis argumentum sic distingui potest: Implicat perire hominem non pereunte tam ratione sui, quàm ratione alterius ullo constitutivo hominis, concedes. Implicat perire hominem non pereunte ratione sui ullo constitutivo hominis, pereunte tamen ratione alterius, negabis. Sed perire hominem ablato solo requisito essentiali hominis

realiter

realiter adæquatè distincto ab homine, est perire hominem non pereunte ratione sui ullo constitutivo hominis, pereunte tamen ratione alterius, concedes. Sed perire hominem ablato solo requisito &c. est perire hominem non pereunte tam ratione sui, quàm ratione alterius, ullo constitutivo hominis, negabis Minorem, & Consequentiam. Ita argumentum Simile distinguit R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 12. Contra est. *1mò.* Ablata sola v. g. conservatione hominis non perit anima rationalis & corpus etiam ratione alterius, ut per se patet, ac declaratum est num. 209. Ergo falsum saltem universaliter est, quòd ablato solo connotato rei pereat omne constitutivum illius. Hinc etiam contra distinctionem suprà datam ita restauro argumentum. Implicat perire hominem non pereunte tam ratione sui, quàm ratione alterius ullo constitutivo hominis, ut conceditur. Sed perire hominem ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine, est perire hominem non pereunte tam ratione sui, quàm ratione alterius, ullo constitutivo hominis, quia ablata sola v. g. conservatione hominis nec ratione sui, nec ratione alterius perit, seu anima rationalis, seu corpus hominis. Ergo &c. Nec juvat pressos hoc argumento Oppositos, si dicant more solito quòd licèt v. g. anima rationalis secundùm se non pereat ablata sola conservatione hominis, perit tamen illa prout actu componens hominem, actu unita corpori, hoc enim etiam in adversa sententia falsum esse tali deduco syllogismo. Ipsa præcisè entitas animæ rationalis non perit ablata sola conservatione hominis, ut certum est etiam Oppositis. Sed anima rationalis prout actu componens hominem, actu unita corpori, juxta Oppositos est ipsa præcisè entitas animæ rationalis, quid enim aliud præter ipsam entitatem animæ rationalis, est anima

rationalis prout actu componens hominem, actu unita corpori? Certè anima rationalis prout actu componens hominem, actu unita corpori, juxta Oppositos nec partialiter est unio. Ergo etiam in adversa sententia anima rationalis prout actu componens hominem, actu unita corpori, non perit ablata sola conservatione hominis. 2dò. Iuxta responsionem ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine, perit homo non pereunte ratione sui ullo constitutivo hominis. Ergo ablato solo prædicto requisito non perit ratione sui ullum constitutivum hominis. Ergo ablato solo prædicto requisito, ratione sui non perit etiam homo. Ergo prædictum requisitum essentiale hominis & est requisitum essentiale hominis, ut supponitur, & non est requisitum essentiale hominis, ut probo. Ablato (etiam solo juxta Oppositos) requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine, necessariò ratione sui perit homo. Ergo si ablato solo prædicto requisito, non perit homo ratione sui, tunc requisitum essentiale hominis, non est requisitum essentiale hominis. Probatur Antecedens. Tum quia ablato requisito essentiali hominis, etiam realiter adæquatè distincto ab homine, necessariò perit homo ratione suæ essentialis connexionis cum illo requisito. Ergo necessariò perit ratione prædicati sibi realiter adæquatè identificati; quia juxta omnes connexio essentialis unius entis cum alio, realiter adæquatè identificatur enti connexo. Ergo necessariò perit ratione sui. Tum quia aliàs homo ratione sui, ac proinde ex se ab intrinseco posset esse sine requisito essentiali ad esse suiipsius, quod repugnat definitivo conceptui requisiti essentialis ut sic dato num. 16. 3tiò. Implicat perire hominem non pereunte ullo ratione sui constitutivo hominis, quia implicat perire hominem manentibus ratione sui omnibus simul

constitutivis

constitutivis hominis, seu manente ratione sui (aut in entitate sua) adæquata essentia hominis. Sed perire hominem ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine, est perire hominem non pereunte ullo ratione sui constitutivo hominis, ut conceditur. Ergo implicat perire hominem ablato solo requisito essentiali hominis, realiter adæquatè distincto ab homine. Firmatur. Quidquid perit etiam ratione alterius ablati, debet perire ratione sui, quia (quod etiam juxta explicationem Oppositorum est perire ratione sui) debet perire in sua entitate, aliàs quod perit ratione alterius ablati, maneret in sua entitate. Ergo implicat perire hominem præcisè ratione ablati alterius, realiter adæquatè distincti ab homine. Ergo implicat perire hominem non pereunte ullo ratione sui constitutivo hominis, pereunte tamen ratione alterius, &c.

223. Probatur *2dò* Assertio. Admissis connotatis Antonomasticis solvitur forma syllogistica, ac convelluntur principia lumine naturæ nota. Ergo implicant connotata Antonomastica. Probatur Antecedens, quia admissis connotatis Antonomasticis imò ex præmissis, in Oppositorum sententia innegabilibus, legitimè sequitur falsum, ut patet in hoc v. g. syllogismo expositorio: *Anima S. Petri habens unionem cum corpore S. Petri, essentialiter requirit unionem*, uti docent omnes Connotatistæ. *Sed anima* S. *Petri habens unionem cum corpore S.* Petri *est anima S. Petri*, ut est evidens in sententia Oppositorum: *Ergo anima S. Petri essentialiter requirit unionem*; ac proinde nec divinitus potest existere sine unione. Adverto hìc, quòd syllogismi expositorii sive in 1ma, sive in 2da, sive in 3tia figura sint legitimi, quamvis non servent aliquam vel 1mæ vel 2dæ vel 3tiæ figuræ legem, nec sint in ullo ejusdem modo, uti docet R. P. Miaskowski in Diale-

ctica Disp. 3. Quæst. 2. à num. 69. Patet & in hoc non expositorio syllogismo. *Entia creata realiter adæquatè eadem uni 3tio, sunt realiter adæquatè eadem inter se. Sed hæ v. g. denominationes: Petrus infectus aurigine. Petrus informatus albedine, sunt entia creata realiter adæquatè eadem uni 3tio*; quia in sententia Oppositorum ex declaratis num. 220 realiter adæquatè identificantur entitati Petri. *Ergo prædictæ denominationes sunt entia creata realiter adæquatè eadem inter se.* Hinc ulteriùs admissis connotatis Antonomasticis ruit hoc principium: *Quæ sunt eadem uni 3tio, sunt eadem inter se &c.* 2dò ruit hoc principium: *Omne totum est majus sua parte*; quia cùm admissis connotatis Antonomasticis compositum v. g. humanum sufficienter constituatur solà anima rationali connotante corpus & unionem, ut declaratum num. 171. totum non est majus sua parte. Imò omnis pars physica hominis importatur purè in obliquo, ut etiam ex Oppositorum principiis declaratum habetur num. 66. & 205. Ergo in principiis eorundem omnis pars physica hominis, solùm quoad dici est pars physica hominis, in re autem est merum illius connotatum. Ergo in re nulla datur pars physica hominis, ac proinde totum non est majus ulla parte sua physica. 3tiò, ruit hoc principium: *Implicat idem esse & non esse*; quia v. g. anima S. Petri habens unionem cum corpore S. Petri juxta Oppositos realiter adæquatè est idem cum entitate animæ S. Petri, & tamen entitas animæ S. Petri est, seu existit, anima verò S. Petri habens unionem cum corpore S. Petri non est, siquidem non est Antonomasticum illius connotatum, nempe unio &c. Hinc.

224. Probatur 11mò Assertio, argumento affini. Admissis principiis Connotatisticis unum ex identificatis realiter adæquatè omnimodè periret, & aliud ex identificatis realiter adæquatè omnimo-

dè non periret. Ergo implicat connotatum Antonomasticum. Consequentia patet, quia implicat unum ex identificatis realiter adæquatè omnimodè perire, & alterum ex identificatis realiter adæquatè omnimodè non perire, aliàs de identificatis realiter adæquatè omnimodè verificarentur talia prædicata contradictoria, qualia nec in mysterio SS. Trinitatis verificantur de identificatis realiter adæquatè, nam in mysterio SS. Trinitatis de identificatis realiter adæquatè verificantur quidem hæc contradictoria: *Generat, non generat; generatur, non generatur; procedit, non procedit*; nunquam tamen verificantur ista: *Perit, non perit, existit, non existit*, aliàs mysterium SS. Trinitatis simul esset & non esset. Antecedens probatur. Tum quia admissis principiis Connotatisticis anima rationalis habens unionem cum corpore, & entitas animæ rationalis identificantur sibi realiter adæquatè omnimodè, illa tamen periret, hæc non periret ablata sola unione. Ergo &c. Tùm quia admissis principiis Connotatisticis similitudo Petri cum Paulo in natura ablato solo Paulo periret, entitas verò Petri secundùm se præcisè sumpta ablato solo Paulo non periret. Ergo admissis principiis Connotatisticis unum ex identificatis realiter adæquatè omnimodè periret, alterum ex identificatis realiter adæquatè omnimodè non periret. 1*ma pars assumpti* patet, quia Paulus in sententia Connotatistica est Antonomasticum connotatum similitudinis Petri cum Paulo in natura, ac proinde solo ablato Paulo periret similitudo suprà dicta. 2*da quoq; pars assumpti* patet, quia entitas Petri secundùm se præcisè sumpta potest esse sine Paulo, ac proinde non requirit essentialiter Paulum, consequenter hoc ablato non periret. *Consequentia* probatur, quia similitudo Petri cum Paulo in natura & entitas Petri secundùm se præcisè sumpta identificantur sibi realiter adæquatè omnimodè, ali-

às una ex prædictis entitatibus duabus inadæquatè identificaretur alteri, consequenter una ex iisdem aut plus constitutivè diceret, quàm altera, aut non omne id constitutivè diceret, quòd altera, nam universaliter quidquid inadæquatè identificatur alteri, illud aut plus constitutivè dicit, quàm alterum, aut non omne id constitutivè dicit, quod alterum, ut patet inductione. Porro ex duabus entitatibus prædictis in sententia Oppositorum neq; una (quæ enim?) plus constitutivè dicit, quàm altera, neq; una aliquid constitutivè dicit, quod non dicit altera, quæ enim illarum, & quid aliud constitutivè dicit secundùm Oppositos, quod non dicit altera?

225. Responderi potest, quòd anima rationalis habens unionem cum corpore, & entitas animæ rationalis, non identificentur sibi realiter adæquatè omnimodè, quia [ut inquit R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 13.] *anima secundùm se sumpta aut non habens unionem, & eadem anima habens unionem, distinguuntur à se realiter non quidem intrinsecè & absolutè, seu ratione sui constitutivi intrinseci, cùm hujus nulla sit necessitas & fundamentum, sed extrinsecè & connotativè, seu ratione alicujus puri requisiti sui essentialis.* Proportionatè dici potest de similitudine Petri cum Paulo in natura, & de entitate Petri secundùm se. Porro juxta eundem ibidem paulò inferiùs *distinctio connotativa seu relativa est tunc, quando unum ens ab altero distinguitur ratione connotati seu puri requisiti essentialis, sicut è contra distinctio absoluta seu simpliciter talis est, dum unum ens ab altero distinguitur ratione constitutivi sui intrinseci, seu ratione suiipsius.* Iam juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 36. *distinctio connotativa est inter prædicata vel ambo connotativa (ut inter dissimilitudinem Petri cum DEO, & similitudinem Petri cum Paulo) vel inter unum absolutum, alterum*

connotativum,

connotativum, ut inter Petrum & similitudinem ejus. In re autem hæc (inquit) *distinctio connotativa non est inter ipsa recta præcisè secundùm se sumpta, sed inter ipsa obliqua ac connotata, vel certè inter rectum unius prædicati & obliquum alterius prædicati &c. &c. Contrà est.* Anima rationalis habens unionem cum corpore, nec realiter intrinsecè & absolutè, nec realiter connotativè distinguitur ab entitate animæ rationalis. Ergo in sententia Oppositorum illa huic identificatur realiter adæquatè omnimodè. 1ma pars assumpti conceditur, 2da probatur. Si anima rationalis habens unionem cum corpore, realiter connotativè distingueretur ab entitate animæ rationalis, tunc 1*mò* vel ipsum rectum animæ rationalis habentis unionem cum corpore, scilicet entitas animæ rationalis, vel obliquum animæ rationalis habentis unionem cum corpore, scilicet unio, realiter connotativè distingueretur ab obliquo animæ rationalis entitativè sumptæ, v. g. à DEO, quia juxta citatum superiùs R. P. Domaradzki *distinctio connotativa est inter ipsa obliqua ac connotata, vel certe inter rectum unius prædicati & obliquum alterius prædicati, non verò inter ipsa recta.* Neutrum dicitur; quia tam entitas animæ rationalis ab unione, quàm unio animæ cum corpore ab entitate animæ distinguitur realiter intrinsecè & absolutè ratione sui. Ergo &c. 2*dò*. Sequeretur, quòd entitas animæ rationalis esset verè negabilis de anima rationali habente unionem cum corpore, quia omnis distinctio realis est saltem arguitive vera negabilitas unius de altero, sicut juxta Oppositos identitas adæquata est vera affirmabilitas unius de altero, unde etiam juxta R. P. Domaradzki in Compendio Connotatorum num. 37. *affirmabilitas simpliciter talis est identitas adæquata*, ac num. 23. *affirmabilitas* [inquit] *pro explicatione in definitione identitatis adfertur ab omnibus.* Sed entitas animæ rationalis in

sententia Oppositorum non est verè negabilis de anima rationali habente unionem cum corpore, quia juxta Oppositos vera est hæc propositio: *Anima v. g. Petri habens unionem cum corpore Petri est entitas animæ Petri*, utpote habens rectum prædicati adæquate identificatum recto subjecti. Ergo &c. 3*tiò*. Sequeretur, quòd distinctio realis connotativa animæ rationalis habentis unionem cum corpore ab entitate animæ rationalis, esset vel distinctio realis adæquata, vel distinctio realis inadæquata, quia distinctio realis media inter realem adæquatam & realem inadæquatam non datur. Sed distinctio realis connotativa animæ rationalis habentis unionem cum corpore ab entitate animæ rationalis nec est distinctio realis adæquata, quia anima rationalis habens unionem cum corpore juxta omnes realiter identificatur entitati animæ rationalis; nec est distinctio realis inadæquata, aliàs contra mentem Oppositorum unum ex prædictis extremum, scilicet anima rationalis habens unionem cum corpore, constitueretur aliquo, quo non constituitur alterum, scilicet entitas animæ rationalis. Ergo &c. 4*tò*. Sequeretur, quòd etiam animal realiter connotativè distingueretur à rationali, quia animal & rationale sunt prædicata connotativa, illud sensationum, hoc ratiocinationum, jam vero universaliter juxta Oppositos inter prædicata ambo connotativa est distinctio connotativa. Sed animal à rationali non distinguitur realiter connotativè, quia juxta communiorem etiam ipsorum Connotatistarum Philosophiam animal à rationali distinguitur solùm per rationem. Ergo &c. 5*tò*. Sequeretur, quòd in Divinis Pater connotativus Filii à Filio connotativo Patris, in creatis pars physica actualis ut talis juxta Oppositos connotativa totius, tanquam sui connotati semiextrinseci, à toto distingueretur realiter solùm connotativè; quia admissa semel

mel distinctione connotativa, nulla (quæ enim?) necessitas est distinctionis realis intrinsecæ inter partem physicam actualem & totum, inter Patrem & Filium &c. *6tò.* Sequeretnr, quòd etiam Essentia DEI Theologicè sumpta, prædicatum DEI absolutissimum, á prædicatis Divinis relativis ac proinde connotativis distingueretur realiter connotativè, quia universaliter juxta Oppositos *distinctio connotativa est inter prædicata vel ambo connotativa, vel inter unum absolutum, alterum connotativum.* Sed Essentia DEI Theologicè sumpta à prædicatis Divinis relativis non distinguitur realiter connotativè, quia juxta communiorem etiam Connotatistarum Theologiam, ac juxta Florentinum citatum num. 38. prædicta Essentia solùm per rationem distinguitur à prædicatis Divinis relativis. Ergo &c. *7mò.* Sequeretur, quòd etiam Iustitia DEI connotativa punitionum à Misericordia DEI connotativa miserationum distingueretur realiter connotative &c. Advertó, quòd distinctio connotativa non sit distinctio rationis; aliàs non esset par sustinendis contradictoriis realibus. Non est quoq; media inter distinctionem realem & rationis; quia talis distinctio passim rejicitur in Philosophia à Nostris etiam Connotatistis. Ergo est distinctio realis, ut in terminis asserit Doctissimus R. P. Gzowski.

226. Probatur *12mò.* Assertio. Admissis principiis Connotatisticis consensus voluntatis creatæ & est, & non est Antonomasticum purè extrinsecum connotatum gratiæ Divinæ efficacis. Ergo implicat connotatum Antonomasticum. 1ma pars Antecedentis supponitur, juxta R. P. Gzowski de Gratia num. 227. *Consensus voluntatis creatæ non est constitutivum, sed potiùs Antonomasticè tale connotatum gratiæ efficacis.* 2da pars probatur. Si admissis principiis Connotatisticis consensus voluntatis creatæ esset Antonomasticum purè extrinsecum connotatum

gratiæ Divinæ efficacis, tunc gratia Divina efficax esset ex se ab intrinseco essentialiter connexa cum consensu voluntatis creatæ, realiter adæquatè juxta Oppositos distinctæ à gratia efficaci, quia universaliter omnis res Antonomasticè connotans aliquid sibi purè extrinsecùm, ex se ab intrinseco essentialiter connectitur cum suo connotato realiter adæquatè distincto à re connotante, ut patet in creatura pura Antonomasticè juxta Oppositos connotante DEUM; in parte physica actuali ut tali, Antonomasticè juxta eosdem connotante aliam compartem &c. Sed gratia Divina efficax non est ex se ab intrinseco essentialiter connexa cum consensu voluntatis creatæ realiter adæquatè juxta Oppositos distincto à gratia efficaci, quia etiam ipse R. P. Gzowski de Gratia num. 197. concludit, & probat *implicare gratiam ex se connexam essentialiter cum operatione salutari.* Ergo admissis principiis Connotatisticis consensus voluntatis creatæ non est Antonomasticum purè extrinsecum connotatum gratiæ Divinæ efficacis. Firmatur. Implicat gratia Divina efficax connotans consensum voluntatis creatæ. Ergo hic consensus non est Antonomasticum purè extrinsecum connotatum gratiæ Divinæ efficacis. Probatur Antecedens. Implicat gratia prædeterminans physicè Thomisticè. Sed gratia Divina efficax connotans consensum voluntatis creatæ, ut talis, est gratia prædeterminas physicè Thomisticè. Ergo implicat gratia Divina efficax connotans consensum voluntatis creatæ ut talis. Major est assertio universæ Societatis, ac etiam ipsius R. P. Gzowski de Gratia num. 164. Minor declaratur. Augustinus Erath, Canonicus Regularis Theologiæ Doctor, in Conciliatione seu Unione Theologica Prædeterminationis Physicæ cum Scientia Media, quasi Mediator inter Nos & Thomistas, revera tamen Thomistarum acerrimus, Tractatu 3. Membro 1. Puncto

cto 1. num. 1160 ex sensu Scholæ Thomistæ dicit: *Prædeterminatio physica spectari potest 1mò præcisè secundùm entitatem suam, abstrahendo à suis differentiis & connotatis, quæ in obliquo importat, 2dò prout conjuncta est cum omnibus iis, quæ connotat. Itaque* [inquit num. 1161] *Prædeterminatio præcisè secundùm suam entitatem est omnino indifferens tam ad consensum, quàm ad ipsius negationem.* Et num. 1162. *Prædeterminatio*, inquit, *connotat actuale exercitium voluntatis nostræ, v. g. amorem, ita ut impossibile sit prædeterminationem existere, quin in eodem instanti existat amor à voluntate physicè productus. Unde incompossibilitas, quæ est inter prædeterminationem v. g. ad amorem, & inter actum oppositum v. g. odium, non provenit ex eo, quod ipsa entitas prædeterminationis in abstracto considerata sit incompossibilis cum odio, sed solummodo ex eo, quod ipse amor, qui est connotatum prædeterminationis, sit incompossibilis cum odio, seu negatione amoris.* Hinc [inquit idem num, 1165) bene dicit Hildenus Thomista in Symb. p. 3. § 5. num. 36. *Ipsa Physica Prædeterminatio* [*secundùm se & in abstracto sumpta*) *non dicit incompossibilitatem cum actu opposito, nisi connotando actuale exercitium voluntatis nostræ, quod habet formaliter prædictam incompossibilitatem.* Denique idem ibidem Puncto 5. num. 1320 dicit: *Prædeterminatio physica, ut hucusque frequenter diximus, nihil aliud est quàm gratia, vel decretum connotans Operationem nostræ voluntatis.* Ergo gratia Divina efficax connotans consensum voluntatis creatæ, ut talis est gratia prædeterminans physicè Thomisticè.

227. Probatur 13*tiò* Assertio. Admissis principiis Connotatisticis peccatum & est, & non est Antonomasticum connotatum hujus denominationis: DEUS *quà oppositus peccato.* Ergo implicat connotatum Antonomasticum. 1*ma pars assumpta*

supponitur,

ſupponitur, conceditque illam diſertè R. P. Kobielski in Phyſica num. 77. & R. P. Tuchołka in Logica num. 172. ſicut enim [inquiunt] nihil inconvenientis eſt in hoc, quòd viſio DEI, quâ videt præteritum aut futurum peccatum alicujus, exigat eſſentialiter peccatum tanquam terminum connexionis eſſentialis adæquatè à viſione diſtinctum, ita nihil eſt inconvenientis in hoc, quòd DEUS quà oppoſitus peccato exigat eſſentialiter peccatum tanquam terminum relationis, & connotatum adæquatè diſtinctum. *2da pars aſſumpti* probatur. Si peccatum eſſet Antonomaſticum connotatum hujus denominationis: *DEUS quà oppoſitus peccato*, tunc DEUS quà oppoſitus peccato eſſentialiter requireret & exigeret peccatum, ut conceditur ab Oppoſitis, & patet ex natura connotati eſſentialiter requiſiti ad eſſe rei connotantis. Sed DEUS quà oppoſitus peccato eſſentialiter non requirit, nec exigit peccatum. Ergo &c. Minor eſt jam declarata num. 151. Sed præterea etiam his probatur rationibus. 1*mò*. Si DEUS quà oppoſitus peccato, eſſentialiter requireret & exigeret peccatum, tunc aliquid realiter adæquatè identificatum DEO, eſſentialiter requireret & exigeret peccatum, quia ratio formalis, vi cujus DEUS opponitur peccato [utique realiter adæquatè identificata DEO, etiam juxta Oppoſitos) eſſentialiter requireret & exigeret peccatum. Hoc dici non poteſt, aliàs DEUS eſſentialiter requireret & exigeret peccatum, quò certè quid inconventius ex terminis? Ergo &c. Firmatur. DEUS eſſentialiter non requirit nec exigit peccatum. Sed DEUS quà oppoſitus peccato eſt DEUS. Ergo DEUS quà oppoſitus peccato eſſentialiter non requirit nec exigit peccatum. 2*dò* Si DEUS quà oppoſitus peccato eſſentialiter requireret & exigeret peccatum, tunc ſolo ablato peccato tolleretur DEUS quà oppoſitus peccato, quia jux-

ta Oppositos omne requisitum essentiale rei est tale quo solo ablato perit res, ut docet R. P. Gzowski citatus ad finem numeri 118 ac R. P. Domaradzki in Logica num. 565. dicens: *Omnis terminus connexionis est requisitum essentiale tale, quo solo ablato pereat res &c. &c.* Ergo solo ablato peccato tolleretur DEUS simpliciter oppositus peccato; quia ex declaratis num. 137. juxta R. P. Kobielski & R. P. Domaradzki universaliter quæ propositio cum reduplicatione vera est, illa est vera etam sine reduplicatione. Ergo solo ablato peccato tolleretur entitas DEI simpliciter sine ullo prorsus addito restringente, quia juxta R. P. Domaradzki (cui fidelissimè in hac de connotatis materia subscribit R. P. Kobielski) in Compendio Connotatorum num. 35. *à termino restricto ad irrestrictum valet consequentia*, ac juxta ipsummet R. P. Kobielski in Physica num. 78. *Sicut Deus per suam unicissimam entitatem distinguitur adæquatè à peccato & excludit peccatum, ita per eandem præcisè entitatem opponitur peccato.* Ergo simpliciter sine ullo prorsus addito restringente entitas DEI non potest ullatenus esse sine peccato; quo iterum quid inconvenientius ex terminis? 3*tiò*. Ens summè bonum non exigit essentialiter summum malum, sicut ens sufficientissimum sibi ad esse non exigit essentialiter quidquam extra se. Sed DEUS quà oppositus peccato est ens summè bonum, & peccatum est summum malum. Ergo DEUS quà oppositus peccato non exigit essentialiter peccatum. Addo contra instantiam Oppositorum, quòd etiam visio, quâ DEUS videt præteritum aut futurum peccatum alicujus, si hæc realiter adæquatè (ut Oppositi volunt) identificatur DEO, non exigit essentialiter peccatum, nec connectitur essentialiter cum eodem, quia oppositum inconveniens esse patet ex prædictis. Aliud est in communiore Nostrorum Connotatistis Oppositorum sententia, jux-

ta quam scientia visionis est semiextrinseca DEO; ut pote solùm inadæquatè identificata eidem, in hac enim sententia, sine ullo inconvenienti, semiextrinseca DEO scientia visionis, quâ ille videt præteritum aut futurum peccatum alicujus, essentialiter requirit & exigit peccatum, quia totum quodlibet sine ullo inconvenienti, essentialiter requirit & exigit suam partem, &c.

228. Probatur 14tò Assertio. Admissis principiis Connotatisticis prædicatum Divinum relativum necessarium v. g. ly: *Generans*, sine ullo addito restringente sumptum, & est, & non est Antonomasticum connotatum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ. Ergo implicat Antonomasticum connotatum. 1ma *pars Antecedentis* probatur, quia suprà circumscriptum prædicatum Divinum, etiam in principiis Oppositorum, est obliquum (consequenter juxta eosdem connotatum) Essentiæ DEI Theologicè sumptæ, utpote verè per casum rectum non affirmabile de prædicta Essentia, siquidem ex declaratis num. 69. non potest esse vera hæc propositio: *Essentia DEI Theologicè sumpta est generans.* Porro juxta Oppositos *obliquum denominationis objectivum est objectum, quod non est affirmabile verè per casum rectum de eadem denominatione*, ut inquit R. P. Kobielski in physica num. 23. tenenturque admittere id etiam alii Connotatistæ ex declaratis num. 123. Recolantur dicta locis citatis & præterea num. 87. 2da *quoque pars Antecedentis* probatur. Tum quia etiam juxta R. P. Gzowski in Manuscriptis de DEO à num. 57. quodlibet prædicatum Divinum relativum necessarium est constitutivum Essentiæ DEI Theologicè sumptæ. Ergo non est Antonomasticum connotatum ejusdem, quia constitutivum rei nequit esse connotatum ejusdem rei, hoc enim juxta Oppositos citatos à num. 117 definitivè est requisitum rei non constitutivum rei. Tum quia aliàs

daretur connotatum rei realiter adæquatè identificatum rei, quia juxta fidem quodlibet prædicatum Divinum relativum necessarium realiter adæquatè identificatur Essentiæ DEI Theologicè sumptæ.

229. Probatur 1^{mò} Assertio. Admissis principiis Connotatisticis, entia contingentia, DEO purè extrinseca, ab eodem volita, & essent, & non essent Antonomastica connotata volitionum Divinarum liberarum. Ergo implicant Antonomastica connotata. 1ma *pars assumpti* supponitur; docent illam omnes Connotatistæ Noviores, nominatim R. P. Koczorowski, tantâ adversæ partis censurâ, ut in Tractatu de DEO numero 327. impugnando quandam, revera in suo capite natam responsionem, Doctores oppositos *nihil ad rem* dixerit respondere; ac numero 328. Calvinisticam Vostrii sententiam (juxta quam referente Becano parte 1. cap. 1. de voluntate DEI Quæst. 4. decreta DEI libera distinguuntur adæquatè à Substantia & Essentia DEI, ac quædam sunt accidentia, quæ poterant adesse vel abesse à DEO) in terminis *verisimiliorem* esse dictaverit, quàm Constitutivisticam (tot Catholicorum Theologorum) doctrinam de actibus Divinis liberis contingentibus. 2da *pars assumpti* probatur. Si entia contingentia, DEO purè extrinseca, ab eodem volita, sunt Antonomastica connotata volitionum Divinarum liberarum. Ergo quoties è rerum natura tolluntur prædicta entia, toties è rerum natura tolluntur vilitiones Divinæ liberæ, quia juxta Oppositos ablato, etiam solo, Antonomastico connotato rei tollitur res connotans. Ergo quoties è rerum natura tolluntur prædicta entia, toties è rerum natura tollitur aliquid realiter adæquatè identificatum DEO, quia juxta Oppositos volitiones Divinæ liberæ realiter adæquatè identificantur DEO. Ergo quoties è rerum natura tolluntur prædicta entia, toties è rerum natura tollitur DEVS, quia

universaliter

universaliter quoties tollitur unum ex identificatis realiter adæquatè, toties tollitur & alterum ex identificatis realiter adæquatè; aliàs idem esset, & non esset. Atqui defacto in momenta singula è rerum natura tolluntur entia contingentia, DEO purè extrinseca, ab eodem volita, scilicet momenta temporis à DEO volita, durationes rerum essentialiter successivæ à DEO volitæ, &c. Ergo defacto in momenta singula è rerum natura tollitur DEUS. En Connotatisticum Numen quovis instanti defectibile!

230. Probatur denique Assertio hoc argumento. Admissis principiis Connotatisticis in hac de Constitutivis & Connotatis Antonomasticis materia, DEUS & est, & non est Antonomasticum connotatum creaturæ puræ. Ergo implicat connotatum Antonomasticum. 1ma pars assumpti est sententia Oppositorum; 2da probatur. Antonomasticum connotatum creaturæ puræ juxta Oppositos est requisitum essentiale creaturæ puræ, non constitutivum ejusdem creaturæ, quo solo ablato perit creatura pura, ut certum est ex relatis num. 119. Sed DEUS non est essentiale requisitum creaturæ puræ, non constitutivum ejusdem creaturæ, quo solo ablato perit creatura pura. Ergo DEUS non est Antonomasticum connotatum creaturæ puræ. Probatur Minor. Solo ablato DEO non perit creatura pura. Ergo &c. Probatur Antecedens, quia universaliter implicat perire creaturam puram ablato solo requisito essentiali creaturæ puræ realiter adæquatè distincto à creatura pura, ut patet ex declaratis num. 221. Præterea

131. Eadem Minor declaratur 1mò. Si solo ablato DEO, periret creatura pura, tunc pereunte DEO, & nullo alio præter DEUM pereunte, periret creatura pura, quia solum DEUM perire est DEUM perire, & nihil aliud præter DEUM perire ut patet etiam ex ipsorum Oppositorum sensu re-

lato

lato num. 178. Sed pereunte DEO, & nullo alio præter DEUM pereunte, non perit creatura pura; si enim pereunte DEO, & nullo alio præter DEUM pereunte, periret creatura pura, tunc & nihil aliud præter DEVM periret, ut supponitur, & aliquid aliud præter DEUM periret, quia periret creatura pura, ut volunt Connotatistæ, quæ certè est aliquid aliud præter DEUM. Porro implicat & nihil aliud præter DEUM perire, & aliquid aliud præter DEUM perire, seu (quod idem est) & nihil realiter distinctum à DEO perire & aliquid realiter distinctum à DEO perire, aliàs veræ essent simul hæ propositiones contradictoriæ: *Nihil realiter distinctum à DEO perit. Aliquid realiter distinctum à DEŌ perit.* Ergo solo ablato DEO non perit creatura pura.

232. Eadem Minor declaratur 2*dò*. Pereunte DEO, & non pereunte ullo alio ente realiter adæquate distincto à DEO, non perit creatura pura. Ergo solo ablato DEO non perit creatura pura. Antecedentis veritas videtur esse evidens ex terminis ipsis bene perceptis; si enim pereunte DEO, & non pereunte ullo alio ente realiter adæquate distincto à DEO, periret creatura pura, tunc & nullum aliud ens realiter adæquate DEO contradistinctum periret, ut supponitur, & aliquod aliud ens realiter adæquatè DEO contradistinctum periret, siquidem periret creatura pura, utique realiter adæquate DEO contradistincta. Consequentia probatur. Solum DEUM perire, est perire DEUM, & non perire ullum aliud ens realiter adæquatè distinctum à DEO. Ergo si &c. Probatur Antecedens hac (ultra datas num. 186.) ratione. Iuxta Oppositos solum perire DEUM, est perire DEUM, & nihil aliud præter DEUM perire, ut patet ex illorum auctoritatibus relatis num. 178. Ergo solum perire DEVM, est perire DEUM, & non perire ullum aliud ens realiter adæquate distinctum à DEO,

quia 2da pars explicationis Connotatisticæ contentæ in Antecedente, infert 2dam partem explicationis nostræ contentæ in consequente, siquidem bona est hæc illatio: *Nihil aliud præter DEUM perit. Ergo nullum aliud ens realiter adæquatè distinctum à DEO, perit*, ut tali demonstro syllogismo, ad quem reduco præfatum Enthymema. *Nihil aliud præter DEUM perit. Sed omne aliud ens realiter adæquatè distinctum à DEO, est aliquid aliud præter DEUM. Ergo nullum aliud ens realiter adæquatè distinctum à DEO perit.* Nec juvat Oppositos, si ad istud & superius argumentum dicatur, quòd solum DEUM perire, sit equidem perire DEUM, & nihil aliud præter DEUM ratione sui perire; non est tamen DEUM perire, & nihil aliud præter DEUM, etiam ratione alterius perire. Tum quia ablato solo DEO nihil aliud præter DEUM perit ratione sui, ut conceditur. Ergo ablato solo DEO non perit pura creatura ratione sui. Ergo DEVS & est requisitum essentiale v. g. hominis puri, ut supponitur, & non est requisitum essentiale hominis puri, ut probatum num. 222. in ursione 2da. Ergo denique DEUS non est Antonomasticum connotatum creaturæ puræ. Tum quia implicat perire v. g. hominem præcisè ratione alterius, ut probatum eodem num. 222. ursione 3tia. Ergo solo ablato DEO non perit pura creatura, acproinde DEUS non est Antonomasticum connotatum ejusdem.

223. Eadem Minor declaratur 3tiò. Si solo ablato DEO periret creatura pura, tunc ambæ propositiones contrariæ vel contradictoriæ essent simul veræ, ut probo. In prædicta hypothesi veræ simul essent hæ propositiones: *Solus DEUS perit. Non solus DEUS perit.* Vera esset hæc propositio: *Solus DEUS perit*, quia in prædicta hypothesi supponitur vera esse præfata propositio. Vera quoq; esset hæc propositio: *Non solus DEUS perit*, quia

in prædicta hypothesi periret DEUS, & periret aliquid aliud præter DEUM, scilicet periret creatura pura, ut volunt Connotatistæ; jam verò perire DEUM, & perire aliquid aliud præter DEUM, est non solum perire DEUM, nam perire ens A. & insuper perire aliquid aliud præter ens A. exempli gratià perire ens B. est non solum ens A. perire, siquidem ens A. & ens B. perire, est perire duo entia, non unum tantùm ens A. &c. Ergo in prædicta hypothesi, veræ simul essent ambæ propositiones contrariæ vel contradictoriæ, quia hæ propositiones: *Solus* DEUS *perit. Non Solus DEUS perit*, sunt contrariæ, vel contradictoriæ, declaro. Hæc propositio: *Solus DEUS perit*, juxta Oppositos facit sensum istum: *DEUS perit, & nihil aliud præter DEUM perit.* Hæc verò propositio: *Non solus* DEUS *perit*, aut facit hunc sensum: *DEUS perit, & aliquid aliud præter DEUM perit*; aut facit hunc sensum: *Vel DEUS non perit, vel aliquid aliud præter DEUM perit*, quem enim alium? Si 1*mum*. Ergo duæ illæ propositiones sunt contrariæ; quia 1ma propositio 2dæ, & vicissim 2da 1mæ, tota toti, opponitur contrariè, ut patet reflectenti ad leges Dialecticas, quibus regulatur contraria oppositio propositionum compositarum, quales sunt etiam exclusivæ propositiones. Si 2*dum* Ergo duæ illæ propositiones sunt contradictoriæ; quia 1ma propositio 2dæ, & vicissim 2da 1mæ, tota toti, opponitur contradictoriè, ut iterum patet reflectenti ad leges Dialecticas, quibus regulatur contradictoria oppositio propositionum compositarum.

234. Ad hanc probationē ultimā spectant argumenta sequentia. Probabile est connotatum Antonomasticè tale implicare. Sed DEUS est connotatum Antonomasticè tale. Ergo probabile est DEUM implicare. Seu quod idem est. Connotatum Antonomasticè tale probabiliter implicat. Sed DE-

US est connotatum Antonomasticè tale. Ergo DEUS probabiliter implicat. Item. Probabile est connotatum Antonomasticè tale implicare. Sed SS. Trinitas est connotatum Antonomasticè tale. Ergo probabile est SS. Trinitatem implicare. Seu quod idem est. Connotatum Antonomasticè tale probabiliter implicat. Sed SS. Trinitas est connotatum Antonomasticè tale. Ergo SS. Trinitas probabiliter implicat. Horum syllogismorum modalium Major patet ex probatis hactenus; ac certè si hæc nostra sententia tot solidis fundamentis nixa, non est probabilis, quæ tandem erit probabilis? Minor eorundem syllogismorum à Connotatistis est innegabilis, quia secundùm illos DEUS (etiam ut trinus in Personis) est Antonomasticum connotatum creaturæ puræ, ac præterea juxta eosdem quodlibet totum physicum est Antonomasticum connotatum suæ partis physicæ actualis quà talis, consequenter & Trinitas Divinissima est Antonomasticum connotatum v. g. Patris æterni. Consequentia est in Barbara, vel si terminus hic: *Implicare*, est in re negativus, & Majorem reddit negativam, in Celarent; quia universaliter in qua figura ac modo est syllogismus de inesse vel de non inesse, contentus in syllogismo de modo, in eadem figura ac modo est syllogismus de modo, seu modalis, ut patet inductione. Ergo & in qua figura ac modo est syllogismus v. g. iste: *Connotatum Antonomasticè tale implicat. Sed DEUS est connotatum Antonomasticè tale. Ergo DEUS implicat*, in eadem figura ac modo est syllogismus iste: *Probabile est connotatum Antonomasticè tale implicare. Sed DEUS est connotatum Antonomasticè tale. Ergo probabile est DEUM implicare.* Atqui 1mus syllogismus est in Barbara vel Celarent. Ergo & 2dus est in Barbara vel Celarent. Nec valent hæ vel similes retorsiones aut inversiones nostræ argumentationis: Probabile est connotatum

Antonomasticè tale non implicare, Sed DEUS est connotatum Antonomasticè tale. Ergo probabile est DEUM non implicare. Item. Probabile est constitutivum adæquatum implicare. Sed DEUS est constitutivum adæquatum alicujus, scilicet suiipsius. Ergo probabile est DEUM implicare. Non valet 1ma inversio; quia hæc constat Minore mihi negabilissima, jam verò noster uterq; syllogismus constat Minore à Connotatistis innegabili. Non valet quoq; inversio 2da; huic enim nego Majorem, quia nulla ratio revera gravis probat implicare constitutivum rei adæquatum. Quæ in contra objecit R. P. Domaradzki, leviores scrupuli sunt, facilè discussi à num. 53. Adverto hìc diligenter falsum esse, quód quoties una ex oppositis propositio est probabilis, toties altera quoq; ex oppositis propositio est probabilis, ut pluribus declarat Ioannes de Cardenas cum plerisq; aliis contra Caramuelem Tract. 1. de Probabilitate Disp. 4. Cap. 2. &c. ac certè probabile est hanc numero hostiam, quam Sacerdos post consecrationem elevat adorandam, esse validè consecratam, nec tamen probabile est eandem hostiam non esse validè consecratam. Probabile est hunc v. g. Confessarium esse verum Sacerdotem, quin probabile sit eundem Confessarium non esse verum Sacerdotem &c. &c.

235. Concludo hunc § & opus. Repugnantia connotati Antonomasticè talis, jam probata est tum ex principiis sibi extrinsecis, ut declaratum probatione 6ta, 7ma, 8va, 9na, 10ma, & 11ma, tum ex ipsis sibi intimis principiis Connotatisticis, ut videtur patere ex probationibus reliquis, ideoq; illud revera est etiam sibiipsi oppositum, seu intra sua pro se instructissima rationum castra continet, quæ repugnant sibi, ac contra idem hæc ipsa faciunt, vel pro Nobis contra Oppositos militant, in quibus illi summum reponunt robur sententiæ.

 Quod

Quod attinet objectiones Connotatisticas, harum imprimis fundamenta sunt disjecta. Scilicet §. 3tio. Sectione 2da subrutum est indicium discretivum constitutivi à connotato, & Sectione 3tia illud ultimò resolutorium oppositarum probationum principium: *Rectum prædicati debet adæquatè identificari recto subjecti in omni propositione vera affirmativa non disjunctiva.* §. 4to subrutæ sunt definitiones & divisiones connotati Antonomastici. §. 5to subrutum est indicium ejusdem connotati. §. 6to. subruta est Connotatistica expositio propositionis exclusivæ. His verò dirutis, superædificata illis objectionum moles per se tota ruit. Deinde cardinalissimas Oppositorum argutias in terminis propositas redargui §. 5to & 6to. Ad reliqua, quæ supersunt, in terminis solvenda adverto sequentia.

236. 1mò. In sententia nostra nec pars physica totius physici constantis partibus unitis sibi physicè, nec pars physica totius per aggregationem, actualis ut talis, est æqualis suo toti in numero constitutivorum. Ergo falsum est illud solennissimum Oppositorum Doctissimorum assumptum, quasi verò negatis connotatis, pars physica actualis ut talis esset æqualis (per identitatem; ut ab aliis supponitur, à R. P. Radominski apponitur in Logica num. 581. & superiùs) suo toti. 1ma pars adversionis declaratur. Totum physicum constans partibus unitis sibi physicè, in sententia nostra constituitur materia, forma, ac unione; jam autem pars illius physica actualis ut talis non constituitur materia, forma, ac unione. Tum quia unio actu physicè nectens materiam cum forma, est pars actualis totius physici, nec tamen constituitur materiâ & formâ, ut certum est omnibus. Tum quia materia actu unita formæ ut quod, & vicissim forma ut quod, actu unita materiæ, est pars actualis totius physici; nihilominus materia actu unita formæ ut quod, eti-

am

am concretè sumpta, non constituitur formâ ut quod, v. g. corpus actu unitum animæ rationali, etiam concretè sumptum non constituitur anima rationali, & vicissim forma ut quod actu unita materiæ etiam concrete sumpta, non constituitur materia, v. g. anima rationalis actu unita corpori etiam concretè sumpta, non constituitur corpore, ut declaratum num. 29. Ergo &c. 2da *pars adversionis* declaratur. Exercitus v. g. aggregatus ex milite A. & aliis 30. millibus militum, constituitur milite A. & aliis 30. millibus militum; jam autem pars illius actualis ut talis, scilicet v. g. miles A. actu existens in exercitu, etiam concrete sumptus non constituitur milite A. & simul aliis 30. millibus militum, seu toto exercitu, ut declaratum num. 158. Proportionatè dicendum de toto mundo, aggregato ex omnibus entibus creatis actu hic & nunc existentibus, & de parte illius actuali ut tali, scilicet v. g. de musca actu existente in mundo; ac de aliis similibus partibus actualibus totius per aggregationem. Ergo &c. Dices, uti quoad rem dicunt passim Oppositi. Iuxta Anticonnotatistas v. g. unitas A. prout est pars actualis binarii ex unitate A. & B. omnino eadem omnia habet constitutiva, quæ habet constitutiva ipse binarius ex unitate A. & B. Ergo pars actualis, saltem alicujus totius per aggregationem, est æqualis per identitatem suo toti. Respondeo nego Antecedens, quia licet hæc concreta duo: *Binarius ex unitate A. & B. Unitas A. constituens actu binarium*, eandem omnino habeant formam, nempe in re binarietatem, consequenter, licet ex parte formæ eadem omnino habeant constitutiva; 1mi tamen concreti subjectum est tam unitas A. quàm unitas B. collectivè sumptæ, ut patet reflectenti ad dicta num. 153. ac proinde 1mum illud concretum, ex parte subjecti constitutive dicit tam unitatem A. quàm unitatem B. jam ve-

rò 2di concreti subjectum est unitas A. ac proinde alterum hoc concretum ex parte subjecti constitutivè dicit solùm unitatem A. Recolantur dicta num. 167. potissimum in ratione 3tia.

237 2dò. Requisitum essentiale respectu partis actualis, *realiter adæquatè* aliud seu distinctum à parte actuali, non constitutivum partis actualis, quo solo ablato tollitur pars actualis, est strictum connotatum partis actualis, concedo. Requisitum essentiale respectu partis actualis, *realiter inadæquatè* aliud, seu distinctum à parte actuali, non constitutivum partis actualis, quo solo ablato tollitur pars actualis, est strictum connotatum partis actualis, nego ex dictis num. 114. Porro compositum physicum v. g. *Petrus* est requisitum essentiale respectu suæ partis actualis, realiter inadæquatè, non adæquatè distinctum à parte actuali &c.

238. 3tiò. R. P. Gzowski in Brevissimo de Connotatis Memoriali num. 10. si (inquit) non darentur Connotata nostra, non posset ostendi & discribi ab Oppositis, quid sit in re unus v. g. Angelus similis alteri. Conformiter ad illorum principia unus Angelus similis alteri, sunt in re duo Angeli similes sibi. Porro si unus Angelus similis alteri in re sunt duo Angeli, quomodo unus? aut si unus quomodo duo? Respondeo invertendo telum. Ablato solo & unico Angelo ex duobus sibi similibus in natura, vel aufertur unicus ex duobus, vel uterq; ? Conformiter ad principia Oppositorum, aufertur uterque. Porro si aufertur uterque, quomodo unicus, aut si unicus, quomodo uterque? &c. Item Conformiter etiam ad principia Connotatistarum unus Angelus simul sumptus cum altero, sunt in re duo Angeli. Porro si unus Angelus simul sumptus cum altero, in re sunt duo Angeli, quomodo unus? aut si unus, quomodo duo? &c. Directè nego assumptum, & dico. Dum quæritur ab

Oppositis, quid sit in re unus Angelus similis alteri? Vel quæritur, quid est Angelus similis alteri, materialiter sumptus secundùm illam entitatem, quæ denominatur similis alteri? Vel quæritur, quid est Angelus similis alteri, formaliter sumptus secundùm illam formam, quæ illum denominat similem alteri? Vel quæritur, quid est Angelus similis alteri, concretè sumptus, seu quid est hoc concretum: *Angelus similis?* Vel denique quæritur, quid est Angelus similis alteri, purè denominativè sumptus? Si 1*mum*; respondeo. Angelus similis alteri, materialiter sumptus est substantia creata incorporea intellectualis libera completa, ac in re est unus. Si 2*dum*; respondeo. Angelus similis alteri, formaliter sumptus, est in re similitudo unius Angeli cum altero Angelo, per utramque naturam Angelicam constituta. Si 3*tium*; respondeo. Angelus similis alteri, concretè sumptus, est in re entitas Angeli, & similitudo suprà circumscripta. Si 4*tum*; respondeo. Angelus similis alteri, purè denominativè in sensu Connotatistarum acceptus, seu Angelus Antonomasticè connotans alterum, est ens purè chimæricum.

239. 4*tò*. Sicut, etiam juxta Oppositos, subjectum actuale non constituitur formâ ut quod, ita sola ablata hac non perit ratio subjecti actualis; quia solâ ablatâ formâ ut quod, manet & entitas subjecti, & unio ipsius cum forma ut quod, quibus solis secundùm probabiliorem mihi sententiam constituitur subjectum actuale ut tale concretè sumptum. Pariter sicut v. g. anima, prout est pars actualis, non constituitur alia comparte ut quod, ita sola ablata hac non perit anima in ratione partis actualis; quia sola ablata alia comparte ut quod, manet & entitas animæ, & unio ipsius cum alia comparte ut quod, quibus solis constituitur anima, prout est pars actualis, quà talis, concretè sumpta. Pa-

riter

riter ſicut cauſa in actu 2do non conſtituitur effectu, ita ſolo ablato hoc, non perit ratio cauſæ in actu 2do; quia ſolo ablato effectu, manet & entitas cauſæ, & actio, quibus ſolis conſtituitur cauſa in actu 2do, ut talis, concretè ſumpta.

240. 5tò. Iuxta probabiliorem mihi cum pleriſque aliis ſententiam Theologicam, neque Sacramenta diſtincta à baptiſmo, conſtituuntur baptiſmo, neq; Sacramentum Pœnitentiæ peccatis, neque Sacramentum matrimonii aſſiſtentiâ Parochi, Perſonis contrahentium, tantòque minùs vaccis, bobus, equis, porcis, &c. cùm talia veniunt in conditionem conſensûs matrimonialîs. Addo in favorem etiam oppoſitæ ſententiæ. Iuxta Connotatiſtas aliquid DEO adæquatè identificatum, ut propoſitio, vel libera volitio Divina, ſicut Antonomaſticè connotat, ita eſſentialiter requirit vaccas, boves, equos, porcos, imò etiam enormiſſima peccata. Iuxta omnes totum hypoſtaticum poteſt conſtitui naturâ vaccæ, bovis, equi, porci &c. Quid igitur videri poteſt abſonum in terminis, ſi juxta aliquos eadem vel ſimilia conſtituant aliquod etiam Sacramentum? Videatur Diſſertatio Philoſophica Diſp. 3. à numero 143.

241. 6tò. Ablato (inquiunt aliqui ultra ſoluta num. 189. & ſequentibus) connotato rei perit res conſequenter, & nullo ablato alio præter connotatum, perit res conſequenter. Ergo ablato ſolo connotato rei perit res conſequenter. Huic ego Enthymemati ſubſumo. Atqui DEUS eſt connotatum rei, v. g. hominis. Ergo ablato ſolo DEO perit homo conſequenter. Ergo ablato DEO perit homo conſequenter, & nullo ablato alio præter DEUM, perit homo conſequenter, quia univerſaliter juxta aſſumptum Oppoſitorum ablato connotato rei perit res conſequenter, & nullo ablato alio præter connotatum rei, perit res conſequenter. Ergo

ablata

ablata actione conservativa hominis non perit homo consequenter. Ergo actio conservativa hominis non est connotatum hominis. Subsumo insuper. Atqui juxta communiorem Oppositorum sensum unio essentialis hominis est connotatum hominis. Ergo ablata sola unione essentiali hominis perit homo consequenter. Ergo ablata unione essentiali hominis perit homo consequenter, & nullo ablato alio præter unionem essentialem hominis, perit homo consequenter. Ergo ablato DEO non perit homo consequenter. Ergo DEUS non est connotatum hominis. Directè. 1*mò*. Nego 1mam partem assumpti. Tum quia juxta declarata num. 116. existentia est connotatum negationis excludentis existentiam, amor prolis est connotatum Matris, ustio v. g. stipulæ est connotatum ignis proximè admoti stipulæ, nihilominus ablatâ existentiâ non perit etiam consequenter negatio excludens existentiam; ablato amore prolis non perit etiam consequenter Mater; ablata ustione stipulæ non perit etiam consequenter ignis proximè admotus stipulæ &c. Tum quia juxta Oppositos totum physicum est connotatum suæ partis actualis quà talis, nihilominus ablato quidditativè toto physico, formaliter, non consequenter, tollitur pars physica actualis quà talis. Item juxta eosdem Pater æternus est connotatum Filii, nihilominus juxta declarata num. 2. ablato Patre æterno, etiam solo, formaliter, non consequenter, tollitur Filius &c. Tum quia juxta eosdem Oppositos omne connotatum rei, essentialiter requisitum ad esse rei, est connotatum Antonomasticè tale. Ergo 1ma pars assumpti in re facit sensum istum: *Ablato, seu excluso è numero rerum existentium, connotato rei Antonomasticè tali, perit res consequenter*; quod falsum est, quia connotatum rei Antonomasticè tale ex probatis hoc §. 7. est chimæra, jam autem exclusâ è numero rerum existen-

tium

tium chimærâ, certè non perit ulla res, etiam consequenter. 2dò. Nego etiam 2dam assumpti partem. Tum quia hæc juxta Connotatistas in re facit sensum istum: *Nullo ablato alio præter connotatum rei Antonomasticè tali, perit res consequenter*; quod falsum est, quia ablato aliquo connotato rei, etiam non Antonomasticè tali, perit res consequenter propter connexionem essentialem cum eodem. Tum quia ablato alio præter connotatum v. g. A. scilicet ablato v. g. connotato B. essentialiter requisito ad esse rei, perit res consequenter &c. 3tiò. Concedo in sensu Anticonnotatistico assumptum, ita propositum, & sic omnino proponendum: *Ablato connotato rei, essentialiter requisito ad esse rei, perit res consequenter, & nullo ablato alio seu distincto ab omni connotato rei, perit res consequenter.* Quid tum? Ergo solo ablato connotato rei, essentialiter requisito ad esse rei, perit res consequenter, nego Consequentiam, quia juxta Dialecticam ex vero sequitur nonnisi verum; jam autem falsissimum est, quòd solo ablato connotato rei, etiam consequenter pereat res, ut patet reflectenti ad insinuata num. 198. & ad declarata § 6. Sect. 2. in regula exponendi propositiones exclusivas.

Finis Operis
Major sine fine Gloria
Æternæ Veritatis.

JNDEX & COMPLEMENTUM RERUM NOTABILIORUM In hoc Opuſculo contentarum.

Constitutivi

Peccatum

homo, est totum constitutum anima Petri & corpore Petri unitis sibi; rectum verò prædicati est natura humana completa, composita ex anima rationali, & corpore unitis sibi. Num. 91.

Rectum subjecti in hac vera propositione: *Paries est albus*, est totum constitutum materiâ parietis, & ejusdem materiæ forma substantiali unitis sibi; rectum verò prædicati est & totum constitutum tam subjecto albedinis, quàm albedine unita subjecto; & materia 1ma ac 2da parietis unita albedini. Num. 92.

Rectum subjecti in hac vera propositione: *Petrus est scribens*, est totum constitutum animâ Petri & corpore Petri unitis sibi, rectum verò prædicati est causa scriptionis actu physicè producens & exercens scriptionem. Num. 94.

Rectum subjecti in hac propositione: *Eclipsis solis est interpositio lunæ inter terram & solem*, est formalis obtenebratio solis causata per interpositionem lunæ inter terram, & solem; rectum verò prædicati est collocatio lunæ in cælo inferiori ex adverso solis existentis in cælo superiori. Num. 95.

Rectum subjecti in hac propositione: *Christus est Filius DEI naturalis*, est esse hominis (& DEI) identicè inclusi in hoc toto hypostatico: *Christus*, rectum verò prædicati est Personalitas Verbi. Num. 109.

Rectum prædicati non debet adæquatè identificari recto subjecti etiam in propositione vera affirmativa non disjunctiva. Num. 97. & sequentibus.

Reduplicativa propositio. Vide: Propositio reduplicativa.

Requisitum essentiale definitur num. 16.

Similitudo in natura Angeli A. cum Angelo B. constituitur Angelo B. Num. 148.

Similitudo unius Angeli cum altero Angelo, non verò unus Angelus similis alteri Angelo, est in re binarius Angelorum. Num. 155. pag. 216.

Species vel individua sunt partes prædicati superioris. Num. 27.

Syllo-

Pro Coronide Operis
Addo.

QUem defectum in hoc Opere meo, jam impresso, penitiùs expensis expendendis, agnovi, Aristotelis ac etiam ipsius Doctoris Doctorum S. Augustini exemplo fateor & retracto. Explicatio totaliter identificati alicui rei, data à me num. 18. non omni competit constitutivo, ac proinde nec omni totaliter identificato rei, quia v.g. còéxistentia Petri & Pauli in rerum natura constituit hoc concretum: *Petrus actu còéxistens Paulo in rerum natura*, utpote forma ipsius; neq; tamen eadem còéxistentia pauciora entitativè dicit, quàm prædictum concretum. Idem patet etiam in alia quacunq; forma semiextrinseca subjecto constitutiva sui concreti. Quare potiùs *totaliter identificatum rei est entitas vel realiter adæquatè identificata alicui rei; vel nihil habens sibi identificatum realiter, quod non identificetur eidem rei per modum formæ aut subjecti*; per subjectum intelligendo indifferenter subjectum adæquatum, vel inadæquatum, ac per formam intelligendo formam vel ut quod, vel ut quo, vel adæquatam seu totalem, vel inadæquatam, seu partialem, ut explicatio competat & applicationi formæ ad subjectum, quæ est forma ut quo, & parti tam subjecti quàm formæ. Hac explicatione posita consequens est, quòd etiam aggregatum ex Petro & Paulo existentibus simul in rerum natura, sit constitutivum hujus concreti: *Petrus actu còèxistens Paulo in rerum natura*, ut facilè patere potest reflectenti. Ulterior hujus ratio est. Tum quia præfatum aggregatū est in re forma dicti concreti, nam forma dicti concreti est còéxi-

 stentia

ſtentia Petri & Pauli in rerum natura, quæ coëxiſtentia in re eſt aggregatum ſupradictum. Tum quia indicium conſtitutivi aſſertum num. 111. competit dicto aggregato reſpectu hujus concreti: *Petrus actu coëxiſtens Paulo in rerum natura*, nam ablato quomodocunq; (ſive ſecundùm Petrum, ſive ſecundùm Paulum, ſive ſecundùm tam Petrum, quàm Paulum ſimul) per poſſibile vel impoſſibile dicto aggregato, & omnibus aliis ab illo realiter adæquatè ſive certò, ſive probabiliter diſtinctis per poſſibile vel impoſſibile manentibus tollitur hoc concretum: *Petrus actu coëxiſtens Paulo in rerum natura*, quia in prædicta ſuppoſitione perit forma dicti concreti. Unde ulterius contra annotata num. 30. retractatæ explicationi infundata ſequitur, aliquod (non tamen omne) totum eſſe phyſicum (illudq; juxta me ſalvo meliori judicio inadæquatum) conſtitutivum ſuæ partis actualis ut talis concretè ſumptæ; neq; in hoc ullum eſt inconveniens.